Se se ultro agglomerat, saevosque adjungit in usus,
Nequicquam torpens, nequicquam ignara nocendi.
Gliscit ubique fames auri, et nova semper hiatus
Pandit inexpletos, opibusque ardentior auctis,
Usque subit: Fraus insidiis intenta prophanis,
Acta volat blandis et versicoloribus alis;
Nec vero Invidiae tristis vestigia linquit,
Quin ultro observans, notae famulatur amicae.
En agedum jam Luxus iners, et cordibus imis
Quem subdit foeda, atque animis Venus implicat, ignis,
Quae non damna ferunt, quae non mortalibus aegris
Exitia intentant? Hominum praecordia circum
Hinc vis nimirum torpet, frigescit, hebetque
Sanguinis obtusi: hinc se se alta ignavia tollens,
Obruit et mentes, animosque oblimat inertes:
Nec simul hospitiis virtus stabulare sub isdem
Fas habet; at moerens longinquis exulat oris.
Tum male suada Fames, simul et deformis Egestas,
Infelix, partuque uno ac genere edita eodem,
Progenies, gemitusque graves, lamentaque fundunt
Grandia, res duras exosae, acresque labores.
  Talis erat mundi species, his concita larvis,
Hae lue pallescens, hac tabida peste, cubabat,
Infelixque obducta atro lugebat amictu.
Sicut ubi imprudens ardentem murice pallam
Sidonio, pingui virgo respersit olivo;
Tundit crebra dolens formosis pectora palmis:
Utve furens animi genitrix, affusa cruentis
Vulneribus nati gemit, ac bella impia, et hostes
Devovet, incusatque immanis sceptra tyranni.
  At postquam auricomum Titan ferrugine vultum
Obsitus, Auctoris rerum, divûmque Parentis
Crudelem interitum lachrymis deflevit amaris,

Bis centum, ac denis quater actis ordine lustris ;
Omnipotens Pater , humanae miseratus iniquum
Excidium gentis , rebus dedit aethere ab alto
Auxilium fractis , et finem luctibus atris .
Interea namque Indigetes , decora addita coelo ,
Jam scelerum exosi , detestatique malorum
Monstrificas facies , pacem mortalibus aegris
Saepe Deum orarant patrem, de more, supremum.
Nec minus , astriferi summo de vertice Olympi ,
Alituum speculatae acies quae funera terris ,
Quas hominum clades , Stygis exitialia vulgo
Monstra darent , tristes spectarant saepius ante ;
Saepius et magno haec conquestae rite Parenti
Ediderant : O tandem imas, Pater, aspice terras
Lugentes : o saevus ades jam criminis ultor :
Totque o jam prohibe occasus, tot comprime mortes
Terrigenûm , totque indignas averte ruinas .
At si parcis adhuc irae , et tua dextera nondum
Constituit diros moliri fulminis ignes ;
Viribus o saltem jam nunc, Pater, annue nostris :
Et mox omnis ovans Volucrum gens ibit Olympo ,
Par nimbo , effusa ; et terris lato agmine cunctis
Vi multa incumbens , aggressaque turbine vasto ,
Quae mare nunc, terrasque imas, et inane profundum
Permiscent furiis, quamprimum immania bello
Contundet monstra, atque Erebi devolvet in imum.
  Talibus aligeri coetus jam saepe querelis
Astiterant Patris magni solia aurea circum :
Cum tandem ductor performidabilis hasta ,
Aegideque insignis , custosque et gloria sacri
Splendida Gargani , moerens , acrique dolore
Saucius intumuit , castasque exarsit in iras ;
Terque caput nitidum stellanti vertice quassans ,
His comitum cuneos affatur vocibus ultro .
  Cernitis, o cives (quid enim usquam lumina coeli
Aurea suffugiat ?) monstra infelicis Averni

Perpetuis accensa odiis, ardentiaque atris
Ignibus antiquae invidiae, quo dira tumultu
Bella ciant Superis? Memori quam pectore condant
Fulmina adhuc, saevosque ignes, quibus aethere ab alto
Exturbata olim per inania caeca ruinas
Traxere immanes; sed necdum sedibus altis
Progenies adscita poli, gentesque relatae
Terrigenûm astra super, tot jam labentibus annis,
Excidere infandis animis potuere, sed alte
Cordibus invisum genus actum immitibus haeret?
Imo et gens hominum, postquam donata supremo
Aethere, nobiscum coeli regione potita est,
Protinus irarum, caecique furoris habenas
Effudere omnes: totiusque agmina gentis
Tartareae ex illo, sine more, sine ordine clangens,
Tisiphone ad superas dux effera compulit auras.
Tanta hominum stirpem coeli conscendere sedes
Turpibus invidia est animis, furiisque cruentis!
Et tamen, o socii, tantis in rebus inertes
Nos torpemus adhuc? nos et juvat usque nocentum
Jam tempestivas poenas differre? quid ultra
Cessat in auxilium sopita potentia coeli?
Quid tot cognatae segnes modo funera gentis
Spectamus? quid tot caedes, gemitusque cadentum
Securi audimus, saevaque in morte relictos
Despicimus nostros cives, comitesque futuros?
Nec contra pudet informes spectare triumphos,
Et quae Tisiphone, dux saeva (ah dedecus ingens!)
Orbe sub oscuro furtim spolia aurea condit?
Imo agite: ulla piis siquando audacia factis,
Ite modo, hic animis, opibusque, manuque petenda est.
An non aligeros nobiscum aetate recentes
Hic quondam, cum vix primaevo lumine pasti,
Incestare polum auderent civilibus armis,
Contudimus? pugnaeque acris certamine fusos,
(Desuper irato Patre exturbante, corusco

Fulmine) dispulimus, caecoque involvimus Orco ?
At nunc non ne animos antiquo in robore perstans
Caelestes agitat virtus ? aut non amor idem
Corda habet? Est pudor, est nunc mens, est illa profecto
Vivida lux mentis: suaque est non torpida dextrae,
Non effoeta annis vis, non defessa labore.
Faxo hodie (noster modo Rex non abnuat) hostes
Ne qua animos posthac valeant impune superbos
Tollere, ne qua hominum placidam turbare quietem,
Aut ultra aethereas miscere furoribus auras.
Scilicet ignavi vacuique sedebimus ipsi,
Ultro expectantes, orbis dum foeda nocentis
Monstra hominum mortale genus simul omne ruinis
Involvant, rursumque polos et sidera tentent ?
  Dixit, et ultorem mox se se jurat amati
Per juga Gargani, per quod super insidet illi
Templum augustum, ingens, argento dives et auro.
Tum celer (Aligerique una comitantur euntem
Innumeri) aethereo Regique Hominique Deòque
Sistitur, et tales effundit pectore questus.
  Rex divûm, proles una, atque aequaeva Parentis:
Nos, tua gens, postquam generis pars maxima nostri,
Indiga consilii, et caeci ducis arma sequuta,
Sedibus his dejecta, imis se condidit umbris;
Vidimus infandos obitus, indignaque primi
Funera terrigenae ; sortemque cadentis amici
Pertulimus tristes, et deploravimus ultro.
Hunc tu, Rex, olim miserans, a morte receptum,
Morte obita, revehis nobis, coeloque reponis.
Ecce autem nunc rursus hiant lata ora barathri
Horrifici, rursumque humano sanguine inundant
Tartareae fauces, et limina foeda rubescunt.
Nimirum hi luctus, haec sunt quae saepe canebas
Bella olim, o bone Rex, nobis ventura. Sed o jam
Non ne idem Italiae monstrabas saepius oram
In medio, glebae laetam ubere; Tybris amoeno

Amne secat qua pingue solum, lenisque Subasi
Qua latera excelsi laevo ferit ardua cornu?
Hinc Erebi excidio regnis narrare sólebas
Venturum Heroem: duce quo, gens aurea mundo
Surgeret informi, scelerum vestigia terris
Quae mox pulsa ageret totis, virtute relata;
Cui nec quaerere opes, partis nec parcere, curae,
Nec tecta alta foret struere, aut juga nectere tauris:
Horrida sed cultu, pallensque atque aspera victu
Exiguo, populos, spernacia corda salutis,
Moribus instrueret sanctis, et ad astra vocaret.
At neque (tanta ierint cum jam labentibus annis
Saecula) adhuc ullus virtutum limina pandit;
Caelicolis nondum meriti instaurantur honores;
Obsitae adhuc squallent sine thure, sine ignibus arae.
O tandem, Rex, mitte ducem: descendat in ima
(Oramus) noxae immunis, sancta, inscia culpae
Jam promissa anima, et terrenos induat artus.
Nos vero, en stygiis (tu Rex bonus annue) monstris,
Invictisque animis, validisque occurrimus armis.
Haec ductor: simul interea gens tota Volucrum
Ore fremit circum. Tum Rex, qua sidera mulcet,
Qua ventos frangit, tumidos premit aequoris aestus,
Voce infit: silet aeterni domus omnis Olympi.
Dicite (quandoquidem audetis tentare reposta,
Alta exorsa movens, effabor) dicite vestrum
Ecquis erit, surgentum ignes, iterumque cadentum
Astrorum qui nosse queat? coelique meantis
Rite vias, animoque leves comprendere cursus?
Et qui nube cava gelidos suspendere rores,
Rursus et occiduis terras perfundere hiulcas
Imbribus evaleat? Vos ne aequoris objice fluctus,
Et tumidas cohibetis aquas, et frangitis iras?
Num vos mole gravi fixam librastis inani
Tellurem in medio; et longos junxistis in annos,
Foedere concordi, pugnantia semina mundi?

Et nunc ergo adeo vestris quid tanta recursat
Cura animis? famulare genus, Patris abdita magni
Consilia, et nutus arcanae discere mentis
Fas habeat? summum ne etiam exoptabit honorem?
Desinite hic moniti; vetitumque procacibus ausis
Aggressi, posthac quicquam tentare cavete.
Imo agite, hanc animis, quae vos nunc acrius urget,
Exuite omnino curam, et secludite laeti.
Non adeo Patris (neque enim id vos credere fas est)
Confractae vires; non tarda potentia longis
Non effoeta annis, sera aut quassante senecta,
Occidit: ipse aevo non exsuperabilis ullo.
Cum jam tempus erit, cum jam sententia magno
Certa animo stabit, luctantem, atrumque gementem
Auxilio attollet mundum; quaeque aetheris auras
Nunc laetas Erebo immiscent, fera monstra, profundo,
Fulmineo (si tanta vocet res) turbine, dextram
Iratam attollens, stygias devolvet in undas.
Quippe et cum ruerent in primos caeca furores
Hic quondam, et totas bello turbare choreas
Auderent (vidistis enim, et certamine magno
Vos insurrextis tum contra) experta potentis
Fumea tela manus, per inane ruentia magnum,
Et fremuere atrum, et gemitu increpuere profano.
Sed quid ego haec tantis? aut quid vos demoror ultra?
O bona gens, nec vota quidem datis irrita ventis,
Nec patris surdas clamor questusque per aures
Vester iit: tantis precibus jam tum ille benignus
Annuit ore pio. Lucis spirabilis Heros,
Monstratum quem saepe meo didicistis ab ore,
Auram hausit: genitrix ortum quem nomine primum
Dixit Ioannem: sed mox cunabula linquens,
Maternum amisit, Gallaque e gente petitum,
Patre jubente, novum, nostro sed numine agente,
Accepit nomen; Latiaeque vocabula genti
Externa adjungens, Franciscus deinde vocari

Maluit, atque haeres donis gaudere paternis.
Et nunc imbellis, patria se continet aula
Ignotus fama: tamen et puerilibus ultro
Se se animis infert, nomenque affectat inane.
Mox vero indignans, fatis melioribus, illud
Avertetur idem; et famae crepitantibus auris
Insultabit atrox, iratoque ore refellet.
Illa magis contra insurgens, centumque resolvens
Ora, movens centum linguas, obnixa per orbem,
Multa recusantem, volitans rumore secundo,
Heroem, Heroisque feret facta inclyta cantu.
 Ergo utcumque puer, tenero sub pectore versat
Nil modo non ingens, nil non spectabile, et altum.
At vir deinde gravis (divino hic acrius igne
Ardebitque animus, pura et mens luce nitescet)
Altius insurgens, et jam virtutis alumnus
Durus, ad arma ferox, et formidabilis Orco,
Invadet meliora, Deo meliora monente.
Principio monstris, regique immanis Averni
Perpetuum indicet bellum; mox ardua tollens
Signa manu, resides populos nova ad arma vocabit.
Nec mora; continuo gentes (qua nubilus auster,
Qua boreas perflat, primo qua surgit ab ortu
Phoebus, et Hesperiis pronus qua mergitur undis)
Insurgent; fortesque animis, et viribus acres
Ultro acies Itali ducis ad castra indiga mittent,
Quas ille excipiet laetus, vultuque sereno.
Tum placidus, monitis nova corda, animosque recentes
Componet; moresque dabit, legesque severas:
Esse acrem vitam, durosque instare labores,
Et bella immani cum gente horrenda monebit.
Hunc tandem (accipite hoc postremum, animisque tenete)
Post caedes Erebi, devictaque bella tyranni
Tartarei, radiis fessos coelestibus artus
Insignem, egregiaeque haudquicquam laudis egentem,
Sublimem laeti nostro accipietis Olympo.

Rex ore haec: nutuque favens simul orsa sequutus,
Sidera quo micuere ; atque aurea culmina coeli
Sublimes arces acclinavere trementes.
Ceu pubes obsessa , altis e moenibus hostes
Si forte irrumpat, spoliisque et caede potita
Victricem sese referat : mox omnia clamor
Implet laetitia, plausuque, et sidera coeli
Pulsat ovans ; meritis cumulantur honoribus arae :
Sic Volucres, magni circum solia aurea Regis
Affusi, choreasque leves, flexusque sequaces
Ducunt extemplo; genibus tum pectora curvis
Demissi acclinant, et laeti Numen adorant.
Interea assistunt delecti , carmine laudes
Qui claras resonent, atque immortalia summi
Regis facta canant : ut primum jussa Parentis
Magna sequens, ultro e summis descenderit astris,
Et castae intrarit sacrum penetrale puellae:
Ut clausus, decimi norit fastidia mensis,
Victusque, alvique: ut praereptae incommoda lucis
Dura, luens caecis hominum mala crimina poenis ,
Pertulerit . Tu bellipotens Rex , una propago
Aequaevo Genitore sata , atque e Numine Numen,
Victor io , colubri immanis tria praelia calcas;
Ipsumque esuriens trino tu confodis anguem
Oraclo : tu balantes sub tecta reducis ,
Pastorque et custos vigil , agnos : ora luporum
Tu valida cohibes dextra : non ulla trementem
Te facies unquam , seriesve horrenda laborum
Ambiguum vidit : non terruit igne coruscans
Nocturno furibunda cohors : quin (prodiga magnae,
Ah, virtus animae!) tu mactatoribus ultro
Te prodis, servasque tuos a caede clientes.
Tu praecelsum onerans suspenso corpore malum ,
Transversum passis robur metire lacertis .
Nec tu adeo nostrae casus, Rex, gentis inultos
Deseris ; aetherae sed , te instaurante, refectis

Ordinibus, choreae fulgent. Quin, optime rerum
O Fictor, Patre aeterno mandante, creatus
Per te homo, res alias praestans, operumque tuorum
Postremus labor, auricomi custodia luci
Quem penes olim esset; magnum qui protinus orbem
Regnandum acciperet; pecudumque immane ferarum,
Pictarumque genus volucrum, et quae monstra sub undis
Tam variis gignunt formis vada caerula Nerei,
Imperio premeret; solertique omnibus usus
Ingenio rebus prudens indiceret aptos:
Qui nostris tandem cuneis adscitus, hiantes
Sarciret plagas, et dissita cogeret astra.
Salve operum o tantorum Opifex, salve Auctor, et idem
Servator nostri: salve, atque ades, Optime, nobis,
Tu felix, placidusque fove, et rege numine fausto:
Dexter ades terris, mortalemque aspice gentem:
Da premere hanc pedibus fulgentia sidera; laetos
Da simul exercere choros; et dicere laudes
Nobiscum, mortisque tuae cantare triumphos.
Talia dant coetus stellata per atria laetis
Vocibus Aligeri, et late subsultat Olympus.
Franciscus puer interea, quamquam ordine curas
Confuso haud viles imo sub pectore versat,
Mensque ardens opera alta ciet, non protinus omnem
Et vulgi plausum, et popularem avertitur auram.
Blanda voluptatis sedenim male providus ultro
Hortamenta sequens, animum juvenilibus actis
Implicat; atque aevi florem, primamque juventam
Deliciis epulisque terit mollitque profusis.
Ergo jam lucris patriae desuetius artis
Paulatim incumbit, miro pellacis amore
Raptatus genii; ac dehinc haud jam parcit avitis
Quicquam opibus: mensae geniali more paratae
Diripiunt illinc, crebra hinc spectacula lychnis
Edita nocturnis (genitor tractabilis ultro
Munifico indulget puero): simul omnibus ille

Largus, praecipue miseros attollit egenos.
Quippe animo dudum, primis surgentis ab annis,
Sederat ingenium mite, ac pacata voluptas;
Qua monstrante, inopis didicit miserescere turbae.
Hos inter genios, haec inter gaudia, soles
Laetus agit festos puer, olim quae sibi Parcae
Fata trahant ignarus adhuc. At pestis Averni,
Effera Tisiphone, toto gens aurea mundo,
Quo tandem, auxilio certo mortalibus aegris,
Terrorique Orco simul excidioque futura,
Exurgat tempus jam contemplata propinquum;
Infremit ore atro: et crudelibus excita curis,
Multa cavet, metuitque Erebo: ducis ardua signa
Horret venturi, populaturique profundos
Continuo manes, infernique atria Ditis.
Tum vero exardens, torvisque irata cerastis
Vertice dependent quicumque ante ora, vel armis
Incumbunt, spirisque obeunt colla atra retortis:
Mene (inquit) reginam Erebi, mundique nocentis
(Heu! quis jam coeli sceptrum invidet?) ire per astra
Quis vetat, et superûm regnum incestare quietum?
Quod vici, edomui, quod jam mea sub juga misi,
Incessit mortale genus? mea tela rebellis
Temnit homo, ridetque faces? iterum astra secundo,
Contemptorque mei, et diri securus Averni,
Hospita regressu tentat? Proh dedecus! olim
Gens ne etiam provisa mihi, stygiisque futura
Excidio regnis, tandem sub luminis oras
Praemisit, ventura, ducem? modo crimina per tot,
Et scelerum facies, manuum acta infanda mearum,
Ille viam invenit? Sed non ego victa quiescam;
Non coepta obrumpam; non arva Subasidis orae
Pace frui dabitur: stat nunc quassare tumultu
Agrestes subito, et saevo fodere oppida bello.
Nunc nunc quid fax haec valeat, quid dextra, quid hy-
Dux ille addiscat: cadat atro vulnere faxo. (dri,

Hos fremitus ciet ore, insanaque corde sub imo
Versat consilia, et centenas suscitat artes;
Excidium stygiis quo magnum avertat ab oris,
Ductoremque pium extinguat cum gente futura.
Confieri posse hoc tandem res ordine visa est.
Extemplo informes Erebi noctisque colonos,
Quique altos carpunt magnum per inane volatus,
Quique et terrarum et ponti lata aequora turbant,
Auctores scelerum, intenta sibi voce vocatos
Sistit; et increpitans, sic est aggressa trementes.
Ecquis desidiae vestrae modus? ecquid inertes
Deseruit vis atra animos, ignavaque virus
Pectora? cur angues per lurida colla retorti,
Iam placidi mitesque jacent? solertia pravi
Ingenii quo dira abiit, saevaeque nocendi
Mille artes, quas primaevis didicistis ab annis?
Hoc certare modo, vestri sic damna paratis
Ulcisci generis? tantique injuria vobis
Penditur exilii, et praerepti gaudia coeli?
An ne etiam, quibus ejecti cecidistis ab oris;
Cum vos fulmineo perflatos turbine, ab astris
Expulit, et loca senta situ, atque horrenda subire
Astrigeri jussit Rex impacatus Olympi;
Immemores estis? Stirps, heu! per saecula nulla
Non invisa mihi, gemmata sedilia coeli,
Tradita principio vobis, sed rapta repente,
Scandet ovans? Ergo infensus dux, indiga tandem
Coget ad arma acies hominum, caeloque vocabit?
Haud ita. Plura loqui vetat ira. Inde alta, cruentum
Confectura nefas, nigris sese excitat alis,
Aëreo tendens iter exitiale volatu.
Ceu dum scintillam sub noctem fessus arator
Fomite suscepit, stipulaeque admovit acervo;
Flamma repente salit, debacchaturque per auras
Vulcani crepitans furor, et globus emicat ardens;
Sic corda excivit Dea foeda furoribus atris,

Monstrorum atque animos acuit. Tunc omnibus unà
Antiquis foecunda odiis, concussa resurgunt
Pectora; et irriguum nota in praecordia virus
Mox redit. Attollunt sese nigrantibus alis
Tartarei volucres: diversique agmine facto,
Diversas magni cursu populantur inanis,
Quisque suam, partes: numero quot, vere tepenti,
Per sudum glomerantur apes, ubi cedere avita
Sede novas gentes brevis urget regia tecti,
Ignotasque domos, atque extera quaerere regna.
Dumque illi infandos mores, ritusque profanos
Cordibus insinuant hominum, caecosque venenis
Tartareis vitiant animos, crudelis Erinnys
Alta secat nubes; nec dehinc mora, Tybris amoeno
Qua scindit fluvio, pulcherque Subasus opacat,
Dentibus infrendens, laetis superastitit arvis.
Scilicet hic gentes placida sub pace quietas
Viderat, et populos mites colere oppida circum,
Imperiis assueta piis, et legibus aequis:
Viderat agrestes rastroque et vomere adunco
Vertere pingue solum, festosque e nomine divûm
Saepe agitare dies, et pendere munera templis
Ultro, primitias Bacchi Cererisque, quotannis.
Hic magis insanas, subitasque exarsit in iras:
Anguiferumque caput quassat; cervicibus altis
Quo motu sese torvi erexere colubri,
Et linguis sonuere atrum, et micuere trisulcis.
Saeva dehinc rabido sic ore. Haec ne effugit ergo
Tartareas regio una faces? stygiique veneni
Haec immunis adhuc? O vasta potentia dextrae,
O virtus ubi dira meae? Cessere furores?
Ira, odiumque jacent? Agedum mihi caetera nusquam
Bella fremant: toto nullos miscere tumultus
Orbe juvat; vires sed enim hic, quascumque ministrat
Ingenium crudele mihi, stat fundere gentis
Hujus in occasum, tortosque absumere crines.

Nec prius absistam, aut ira exaturata quiescet,
Quam caede invisus ductor lacer occubet atra.
Talibus infremuit. Tum, ceu lupa, ventris acerbat
Quam rabies, caulam si forte irrumpat, in agnis
Primà caede famem sedat; mox, corpore praestans
Si morsus aries fugiens, evaserit, et jam
Arva tenet cursu; furit illa, ac protinus unum
Illum hiat, insequiturque unum, et rabido ore lacessit:
Sic monstrum infelix Erebi, stridentibus alis
Gorgoneis, campis turritae sistitur urbis.
Inde opportunum speculata modumque locumque,
Quo gentes odiis perfundat, finibus illis,
Insanique animos accendat martis amore,
Aggreditur, furibunda, nefas: nec spargit inanes
Principio causas belli, expertesve cruoris.
Forte etenim é populis geminis, quos monte sub alto
Hinc alit Assisium, Perusina urbs educat illinc;
Quosque amnis, media arva secans, Tyberinus amoeno
Dispescit fluvio, et piscoso dividit alveo;
Lecta simul manus agrestum convenerat ingens
Gramineum in pratum, viridans quod Tybridis humor
Efficit, et longi curvaminis undique circum
Umbrifico obtentu densissima populus ambit.
Hic vero exurgens e plebe Macherius omni,
Edidit excelsis quem corpore turribus aequum,
Uberibusque aluit bisquinque Subasia tellus,
Constitit in medio, confidentissimus unus;
Atque ultro his pubem turrita ex urbe profectam
Incessit dictis: Vestri heus erit agminis ecquis,
Mecum hodie quem forte adigat concurrere virtus
Viva sedens animo, et robur tentare palaestra?
Tantum effatus: et extemplo simul omnibus ima
Ossa per horror iit; defixique ora tenentes,
Corporis immanem molem, et Cyclopea membra
Mirantur; frustraque diu par quaeritur illi.
Vix tandem socium crebris hortatibus actus,

Ausus obire gravis pugnae discrimina Barcon ;
Barcon populeis umbratus tempora sertis
Hispida , ab Herculea solitus remeare palaestra.
Imo hic (visa etenim non jam certaminis aequa
Sors tanti) infractus trepida formidine nutat.
At subiit mox laudis amor, turpisque recessit
Corde metus: tunc horrentem rejecit amictum
Ex humeris ; aperit gravia ossa ; torosaque nodis
Brachia callosis, hirsutaque pectora nudat
Corpore in exiguo; et medium prorumpit in agmen
Hostis. Eum indignans ridensque Subasius ultor :
Strymonias (ait) i, pigmaee, lacesse volucres.
At brevis exarsit tumidas luctator in iras ,
Nec certat dictis tantum ; dimissus arena
Ceu canis in mediâ torvum petit ore juvencum,
Assultusque levis cautos molitur ab armo ,
Donec ab admorsa rictu dependeat aure ;
Conjicitur , laterique cavo sese implicat hostis;
Inmiscetque manus modo crura, modo inguina circum ,
Iliaque ; et nexus modo colla in celsa minatus ,
Assultat levis ; at nimia brevitate lacerti
Frustrati , mollesque fluunt , lasique residunt .
Contra ille immotus vi stat gravitatis , et haeret ;
Non secus alpino quam robur vertice fixum:
Ludicraeque animo indignans certamina pugnae ,
Cunctatur magnas vires effundere in auras .
At postquam piguit tandem , puduitque jocari ,
Accensusque furor , tumidusque incanduit atro
Felle animus ; tum dejecto cum pondere supra
Accurvans humeros sese Barcontis , utrumque
Corripuit femur , et pronum devolvere tentat
In caput , et coelo sublatas vertere plantas.
Ille minor quo mole subest, hoc acrior astu
Contendit : pedibusque pedes, crus tortile suris
Dat circum insertans, immaniaque ossa revincit,
Nexibus; ut pinus edera altae robora cingit ,

Poplitibus tum calce instat, flexusque repandos
Molitur genibus: cedunt ossa aspera crurum,
Ut pelagi rupes circumlatrantibus undis.
Jamque oneri elapsus, vinclisque, huc acer et illuc
Insultat pede mobilior; nunc terga lacessit,
Nunc latus; et volucri circum velocius aura,
Pes volat, amplexumque hostis celer effugit arctum.
Non tulit ultra heros (pudor, ira, et conscia virtus
Exagitant animos) extemploque arte fugaci
Ludentem rapit, atque in nodum amplectitur angens,
Elisique vias pulmonis stipat anhelas. (gnum
Quam facile aut leporem, candentem aut corpore cy-
Fulvus ad astra volans uncis rapit unguibus ales:
Terrigenamve Libyn ceu, matris fraude reperta,
Sustulit Alcides, animamque elisit hiantis.
At sociûm turbata manus, concussaque, durum
Indignans animis casum morientis amici,
Una omnis fremit auxilium, et succurrere gliscit.
Germanus clamat Nileus prior: o bona pubes,
Arma, citi date tela manu, defendite nomen,
O socii, patriaeque decus. Simul arripit ipse
Pastorale veru: ruit inconsulta subinde
Turba omnis comitum, raptisque sine ordine telis,
Heroa invadnnt. Glomerata Subasia pubes
Quos contra, auxilio valido tibi saeve Macheri,
Correptis (quae cuique aderant) agrestibus armis,
Procurrit, structamque aciem non segnior offert.
Ergo acrem immiscent pugnam: media ardet Erinnys,
Attollitque facem gaudens, animisque furores
Aggerat insanos: resonat clamoribus aether.
Rara acies ferri visa est effulgere: quernis
It verubus res dira: minax hic robore nodis
Praeduris gravido, stirpe hic, furit ille securi.
Ictibus ossa crepant: resonat quassata per armos
Crebra sudes: gliscit mars impacatus, agrestum
In morem. Nileus auctor, suasorque tumultus,

Ut praeceps animi, telo ut praecurreret hostem
Primus in adversum, primus cadit ictus obusta
Cuspide, qua supra extremus sedet ilia thorax.
Sternuntur Lilus pariter Sanderque gemelli;
Accola, Tibri pater, tuus hic, rurisque colonus
Divitis assiduus, laris et moderator aviti:
Ille animis ac mente acer, sacrata Minervae
Moenia turritae pridem conscenderat urbis,
Raptus amicitia Musarum, et Palladis arte.
At vero tum forte dies, de more, penates
Festus ad antiquos laetum revocaverat illum.
Infelix puer! insuetis dum se implicat armis,
Occidit, immani dejectus vulnere clavae,
Pulvereoque cadens deturpat sanguine crines.
Pro dolor! erepto quantum instar perdis alumno,
Cecropi diva, tuo! sacer ut Permessus, et almae
Te puer, Aonides, simul ut te Lydius amnis,
Najades ut vitrei Trasimeni in littore flerunt!
Nec minus interea crudeli hinc inde frequentes
Occumbunt fato; multos fera vulnera tardant.
  Dum vero agrestes insano marte furentes,
Decernunt campo, seque atra caede vicissim
Dejiciunt, belli causas sparsisse potentes
Tisiphone gaudens, alte victricibus alis
Attollit se se; moxque urbem ascendit Hetruscam,
Ipsa auctor dirae, atque eadem fera nuntia pugnae.
Nec mora: terrifico primum ardua moenia circum
Bacchatur stridore ululans: tum celsa domorum
Conscendit tecta, atque e summis turribus, atro
Sic, vocem intendens, gemit ore: I, vise cruentam
Agrestum o pubes stragem Perusina tuorum.
Exin stridentes, qui stant pro crine, colubros
Vertice gorgoneo manibus detondet aduncis,
Perque vias passim, per compita lata, domosque
Spargit; et aërio mox insessura Subaso,
Avolat, anguicomis exscindens nubila pennis.

Extemplo attoniti gelida formidine cives,
Contremuere animis; nec dehinc mora: nuntia diri
Fama mali, totam veris rumoribus implet
Urbem: improvisoque astat lacerum agmen agrestum,
Imploratque patres, obtestaturque senatum.
Tum vero juvenum furor, atque insania vulgi
Arma fremunt, simul arma: frementibus ira ministrat.
Hic rapit, ille ruens poscit, data suscipit ille:
Idem omnes simul urget amor, simul impetus idem.
Ire volunt; igni ferroque Subasida gentem
Perdere constituunt, et ponere moenia flammis
Aequa solo, totamque evertere funditus urbem.
Parte alia proceresque graves, patresque severi,
Flagrantes irarum aestus, animosque feroces
Emollire parant: tantoque impensius instant
Consiliis, juvenum quanto furor acrius ardet.
Et tamen indomitos, undantesque agmine denso
Vix retinent muris, portarumque objice frangunt.

FRANCISCI MAURI

HISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS

LIBER II.

ARGUMENTUM

Subasidae excidium a Perusinis metuentes nuncupant vota = 1 = 22. Oppida vicina, et praecipue Assisium bellum horrescunt : at Perusini morae impatientes erumpunt; Assisium exercitu circumveniunt, atque expugnare conantur; quo bello Franciscus potissimum petitur ab Eumenide = 103. Dum trepidi consultant proceres Subasaei, delecta manus se hostes jam segnes aggredi pollicetur, eosque aut caedi dare, aut vertere in fugam = 151. Igitur juvenum cohors, quos inter Franciscus, noctu egreditur portis, comitata votis suorum: bipartita primos vigiles deprehendit; castra torpentia invadit; stragem ubique edit ingentem = 216. Mox tendens ad prima tentoria, numero hostium obruta, non territa paulatim retrocedit, ac, multis amissis cum duce, moenia repetit; Franciscus ab Hetruscis captivus abducitur = 275. Perusinos ingenti strage perculsos piget incoepti; et oratione Mystae permoti, absistunt a bello = 337. Tunc Franciscus reversus in patriam iterum mercaturam exercet; sed coelestis thesauri flagrans

desiderio, Deum enixe ab aliis remotus precatur = 379. *Nondum tamen a profanis desideriis omnino vacuus aegrotat ; at postea, viribus recuperatis, animum penitus erigit ad coelestia* = 419. *Narratur ejus liberalitas insignis in equitem pauperculum, quem propria laena induit* = 485. *Qua largitate delectatus Pater supremus, Aligerum juvenem demittit ad Franciscum* = 536. *Coelestis Ales, ut Dei jussa melius facessat, Somnum vestigat, eumque sibi comitem ad Francisci tecta perducit* = 576. *Tunc eo sopito, divinus interpres regales aedes effingit, variis figuris ornatas, quarum imagines repraesentat animo illius* = 598. *Franciscus miratur molem ; stupens contemplatur figuras. Et primo in suprema ora parietis suspicit insignia belli, quo Ditis regnum sidereus Rex per Crucem confregit* = 635. *Postea describuntur picturae, quas ambae facies murorum frontibus adversis exhibebant : nempe laevus paries praelium horrendum coelestes inter, atque infernas acies* = 703. *Ab infima autem ora dextri parietis exsurgit arbor ingens, opaca, coeloque viam affectans, quae brachiis terras et maria complectitur, et magis admiranda in foliis ostendit* = 768. *Convertit poëta sermonem ad divum Franciscum, priusquam loquatur de pube Frondigenûm, quae scilicet ex arboris frondibus erupit; et de ceteris rebus, quae illi per visum apparuerunt* = 801. *Contemplatur praecipue Franciscus puellum, qui ex arboris stirpe in duas partes scisso editus, ipsum tanti ominis nescium adumbrat* = 850. *E binis autem frondibus de vertice plantae decidentibus gemelli pueri exsiliunt, quorum vices diversae ; et alia insuper Francisco visa objiciuntur* = 972. *Postremo poëta gratulatur orbi terrarum felicitatem, quae illi a tantis ducibus obveniet ; et narrat quomodo haec visio desierit.*

Hos, irae impatiens, fremitus Perusina juventus
Dum ciet, et tristi fora, compita, templa tumultu
Miscet, ab adverso virgo sata nocte Subaso
Terrificos dat voce sonos: canit horrida Martis
Praelia sanguinei, dirumque Subasidis orae
Excidium; et foedas strages, atque atra minatur
Funera. Succussus nutat pater ipse Subasus;
Attonitusque minis dirae, cum pondere vasto
Intremit, acclinatque apicem: simul alta trementi
Circumquassa patri responsant avia questu
Luctisono: et raucis mugitibus herbida complent
Pascua, balatu pecudum assultare frequenti
Assueta, et querulis passim resonare cicutis,
Pastorumque leves musas audire loquentum;
Seu dum laeta canunt; seu dum certamina miscent
Rustica, et alterna modulantur lite Camoenae.
Hinc duri subigunt qui proxima rura coloni,
Perculsi insueto portentificoque tumultu,
Horrescunt, trepidant, domibusque satisque ruinas
Continuo expectant: placanda hinc Numina donis
Supplicibus clamant, cumulanda altaria sacris
Frugibus, et notos superos in vota vocandos.
Nec minus insuetis stridoribus, oppida cives
Qui circum alta colunt, tremefactis mentibus haerent,
Ignari quae fata premant: irae ne deorum
Instent ultrices scelerum, aut compage soluta
Telluris, coelo jam dux impegerit atras
Tartareus pestes, stygioque obduxerit orbem
Aethereum fumo. Sed montis rupe sub alta
Condita oliviferi, laterique haerentia flavo
Moenia, praecipue gelido concussa tremore,
Consternata jacent: etenim feralia sese
Haud dubitant quin monstra petant. Jam scilicet inter
Pastoresque suos, Hetruscorumque colonos,
Fama canens aderat pugnam exarsisse cruentam;

Tyrrhenamque adeo, Tyberino in littore, pubem
Confectam caede immani, exanimamque jacere:
Hinc sibi jam Hetruscos bellum molirier atrum.
Interea turrita ardens, accensaque diris
Urbs furiis, arma inquirit; varia undique tela
Advocat, exterget clypeos, ensesque repurgat.
Nec mora: stat legio, validis hinc inde maniplis
Collectis, animosa, fremens; portasque, morasque
Odit; et impatiens irae, moderamina patrum
Incusat: nec deinde minis, nec parcit amaris
Vocibus: erumpit tandem; portasque per altas
Agmina densa ruunt: simul impacata juventus,
Praecipiti dejecta gradu, clangore tubarum
Horribili intento, descendit montibus altis,
Evaditque ardens flaventem Tybridis amnem;
Instructaeque acies, ductores rite sequentes,
Quaeque suum, late campis potiuntur apertis.
Ceu quondam hybernus torrens e vertice montis
Cum ruit, angusta vallis nunc fauce reductus,
Nunc scopuli objectu confractus, spumea tollit
Culmina; et ecce premens subito lata aequora campi,
Saxa, trabes, arbusta, greges, armentaque torquet.
Jamque Subasaeas complerant millibus oras
Vastificaeque manus, unàque exercitus ingens.
Audiit extemplo vicino e monte fragores
Belligeros, mediam longo secat Appenninus
Qui dorso Italiam, atque in partes dividit aequas:
Audiit arrecta non secius aure sub undis
Clitumnus vitreis; pulchros pulcherrimus agros
Flumine perfundens, niveisque armenta fluentis,
Dulcia Tyrrheni donec patris oscula libet.
At vero indomitas acies, pubemque furentem
Nec mora, nec requies, nec vis tenet ulla, virentis
Donec oliviferum latus obsedere Subasi:
Attonitamque urbem, laterique haerentia flavo
Moenia pervigili circumcinxere corona.

Ergo improviso assultu, subitoque frementes
Armorum sonitu, clamorem ad sidera tollunt.
Tum vero alterna qui jam statione vicissim
Obsidant portas, delectu milite ab omni
Excipiunt; quique excubiis simul acribus instent;
Quique aditum explorent murorum, ac pervia si qua
Moenia, seu caecis furtis male fida patescant.
Caetera dehinc legio campis discurrit apertis,
Nunc huc, nunc illuc; insultatque aequore toto
Sublatis cristis, rutiloque insignibus auro
Exardens clypeis: late omnis ferreus hastis
Horret ager, fulgetque armis atque aere coruscat.
Et nunc hi ferro muris, atque ignibus instant;
Nunc variant aditus; manibus nunc lampadas atras
Conjiciunt: frustratae animis irae acrius ardent.
Ipsa autem jam tum victrix, laetoque superba
Successu votorum, inter densa agmina gaudens,
Cervice anguiferā mediam se se Eumenis infert,
Exacuitque animos; colubrosque implexa retortos
Tediferis manibus, stygiae ciet agmina gentis.
Heu tantis anima una malis sancta, inscia culpae
Impetitur! caput insidias molitur in unum
Tot Dira! unius tantum sitit illa cruorem
Francisci! praesaga animo quem gentibus hostem
Tartareis acrem videt, agnoscitque futurum
Vastatorem Erebi, et decus immortale Subasi.
At quamquam hos inter fremitus, subitosque tumultus,
Illaesum tetro puerum, caedisque cruentae
Immunem omnino accipimus. Non protinus ictus
Fortunae effugit; non casus pectore nullos
Adverso excepit; non et nullius adivit
Tentamenta mali, non nulliusque pericli.
Namque Subasaei proceres, e moenibus altis,
Arma, virûmque acies, armis animisque furentes,
Dum spectant late, gelida formidine quassi,
Horrescunt, trepidique haerent: timor improbus auct

Consilium, mentemque aegris et pectora turbat.
At delecta manus primorum ex agmine toto,
Exardens animis, accensaque laudis amore,
Nec mortem exhorrens pro libertate tuenda;
Concilio, numerus patrum quod rite vocarat
Secretam ad sedem, coram improvisa sonoro
Cum fremitu armorum simul affuit: ac prior unus
Birtholides, fandique vices, poscitque receptum.
Continuo patres juvenem, pubemque decoram,
Armisque insignem, et multae virtutis honore,
Accipiunt, farique jubent: data jussa sequutus
Sic juvenis. Rerum, o patres, quae maxima poscunt
Consilia, expectantque manus viresque potentes,
Haud facilis fortuna: senes namque ire labores
Nec fas per magnos, juvenum nec sana furores,
Praecipitesque animos adeo sententia mollit.
Quare agite, et nostris auditis mentibus, ultro
Consulite. Est mecum (coram vos cernitis ipsi)
Magnanimus juvenum coetus, quos insimul ardor
Unus agit; mens una omnes tentare periclum
Ingens, extremumque monet: nec numinis expers
Fidimus inventum. Jam tum (nec fallimur, ipsi
Rem namque omnem oculis animisque inspeximus, altis
Pressius e muris) Tyrrhena per agmina segnis
Inserpit languor: primi cessere furores;
Cessere assultus crebri; fiduciaque ardens,
Jam tum hebet, atque omnis virtus sublapsa residit.
Quin fama est (divûm credo jam territat ultrix
Ira, minisque instans, poenas intentat amaras)
Occultam tentare fugam, tacitosque regressus.
At nunc, dum titubat gens, dum male provida rebus
Haeret in ambiguis; magna nos caede profusam,
Extemplo aggressi dabimus, penitusque fugatam.
Annuite, o patres, vos tantum audacibus orsis.
Obstupuere senes, subitoque exterritus omnis
Consessus simul infremuit. Pars fortibus ausis,

Assensu facili indulgent, animosque feroces
Laudibus attollunt, stimulosque furoribus addunt:
Pars contra trepidare. Etenim certaminis impar
Visa adeo fortuna; anceps victoria; seu jam
Sanguinea, et multo quondam statura cruore.
Tandem, ubi dissensus longis sermonibus actus,
Magnaque per varios res alternata tumultus;
Vicit amor patriae, libertatisque cupido.
Interea Oceani rutilos urgebat in undas
Sol devexus equos; importunisque labori
Nox terras, coelumque ingens complectitur alis.
At juvenes votis tota jam mente potiti,
Et nacti optatas caecis aggressibus umbras,
Temporaque armorum bellique accommoda furtis,
Ire ardent: odere moras; atque ora parentum,
Affatusque cavent, et maternos ululatus.
Et jam instructa acies portas properabat ad altas.
Egressis, procerumque manus, populique catervae,
Multa implorantes superos, multisque faventes
Indigetes patriae, votis precibusque vocantes;
Auxilium exposcunt felix, rebusque secundam
Fortunam ambiguis orant, laetumque regressum.
Olli per tutos calles, et nota viarum
Ingressi (cave devotos, cave, Tusce, furentes
Et Decios, Paulosque; ruit, cave, Mucius alto
E monte) unanimes obscura silentia tranant
Noctis, et umbrarum grata intempesta silentum:
Queis comes, haud atros Martis Franciscus honores,
Exuviasve inhians, predaeve cupidine captus;
Sed juvenum hortatus, et debita fata sequutus;
Tum novus insuetis, et futilis ibat in armis.
Ergo ultro vigiles primi, infelicibus acti
Occurrunt fatis. Primi: heus! age, perculit aures
Quis strepitus nostras? quaeve arma? dolus ne sub armis,
Pax ne subest? mox conclamant. At vivida pubes
Nil contra: in geminas tantum se dividit alas

Tota cohors; hinc inde, frequens, denso agmine cingens,
Impediensque fugam, simul et divortia claudens.
Extemplo vigiles trepidi, veniamque precantes,
Deprensi, mentesque ducum coguntur, et omne
Prodere consilium. Primis successibus acer
Exultat juvenum coetus: tum caetera discens
Tyrrhenae gentis virides sine more per herbas
Agmina fusa toris, securo stertere somno,
Acrius ultro animos attollit: cordibus ignes
Ira, furorque ardens addunt, viresque ministrant.
Hic ergo accelerant omnes, et voce repressa,
Castra unâ invadunt torpenti milite plena,
Et male desidibus cuneis servata refringunt.
Utque, ubi maturis pastor male providus ignem
Frugibus admovit; latos effusa per agros
Mox sata flamma rapit, laetasque involvit aristas,
Et piceam crepitans propellit ad aethera nubem;
Sic per castra furit Tyrrhena, Subasia pubes.
Quaque ardens ruit, hac fervens via limite rubro
Sanguineum commonstat iter, tepidoque cruore
Halat humus, ferventque tori, simul alta tepescunt
Caedibus horrificis tentoria: tum magis irae
Ardentes juvenum crudescunt, quo magis atro
Sanguine tela madent, et caede retunditur ensis.
Nec modus audendi; facies nulla timoris
Obstat; hiant nunc diductis, sparsisque per aequor
Agminibus late: subitis ceu nubibus imber,
Praecipitique noto, campos obnubit apertos:
Nunc coëunt, densantque acies, cuneque recepti
Conveniunt; unâque omnes quo major agit res,
Praecipitesque ruunt incursu, animisque furentes:
Congressusque avidi majorum, extrema relinquunt
Agmina; jamque adeo plebem indignantur inertem.
Nunc agedum, toto vel si mihi pectore Phoebus
Insinuet sese, surgantque in gutture linguae
Centenae, haud strages, et vulnera, saevaque fando

Luctificae valeam comprendere funera noctis.
  Hac fortuna tenus laeto se se obtnlit ore:
Hic vero ad sedem primorum optantibus altam
Monstrato jam calle, fidem mutavit; et ingens
Orsa nefas, rem sublabi, retroque coëgit
Ire subinfractam, juvenesque absistere coeptis.
Namque ubi primorum celsa ad tentoria ventum est,
Ductores, qui forte toros, ludosque sequaces
Nocte super media laeti traxere, repente
Accepere sonos, atque improvisa frementum
Arma vident fulgere virûm. Fit protinus ingens
Clamore ingenti pariter concursus ad alta
Signa: animis primum deprensa Subasia pubes
Substitit ambiguis; tum se collegit in arma;
Et ruit haud ullo discrimine territa mortis:
Continuo exsiliens levibus manus excita in armis,
Objecit primum se, exploratura periclum.
Hi simul occumbunt confossi pectora telis;
Et primi immanes multo dant sanguine poenas.
Gliscit amor pugnae: perque incita pectora virtus
Laeta Subasigenis exultans, acribus urget
Multa animos stimulis, laudumque accendit amore.
Tum vero Hetrusci, ira ignominiaque furentes
(Primorum ante omnes coetus) simul agmine facto,
Objiciunt sese contra: dehinc caetera gentis
Agmina concurrunt, unâque exercitus omnis.
At mentes concussae acies, trepidaeque morantur,
Nec conferre manus, nec se committere pugnae
Ultro incertae audent; ignarae, quae manus instet,
Quive improviso, quantusve advenerit hostis.
Primorum sed enim tandem clamoribus actae,
Accensaeque animos crebris hortatibus, acrem
Invadunt pugnam, miscentque arma ilicet armis.
Obstant intrepidi contra, viresque refringunt
Adversas, numero exigui, sed vivida bello
Corda, Subasaei; versis nunc terga prementes

Mollia, nunc retro magno clamore reflexis
Cedentes sensim, et vestigia lenta trahentes.
Interea hinc atque hinc, Arctoae grandinis instar,
Missilibus jactis, acies infanda per ambas
Exoritur strages: cedit jam parva Subasi,
Obruiturque manus numerosi incursibus hostis.
Iamque Onymus, Faniusque ardens, et Tessinus acer,
Sassitesque ferox, infesto vulnere primi
Occubuere; cadit proles generosa Comerrae
Ceutis, Ionias, qui tum pulcherrimus unus,
Quique Subasigenûm fortissimus, agminis idem
Dux erat: inde cohors duce jam spoliata, retrorsum
Paulatim cedens absistit, et agmine verso,
Gnara viae, gnara anfractus, tutique receptus,
Lecta per occultum repetebat moenia callem.
Optato in reditu Franciscus defuit; illum
Caede rati absumptum tristes luxere parentes.
Id visum haud superis: sed protinus Ales in armis
Affuit aethereis, custos tutelaque sanctae
Fida animae; custos manuum, ne caede maderent,
Quae mox debebant sacris effulgere signis,
Et monstra attonitis divina ostendere terris.
Ire sub Hetrusci tantum ditione superba
Captivum bonus hunc custos permiserat Ales.
Interea bijuges croceos Aurora citabat,
Reddebatque polo lucem, terrisque colorem.
Hetrusci ingentem stragem ut videre suorum,
Continuo fractique metu, fixique dolore,
Ingemuere: cadunt animi, viresque fatiscunt.
Jam piget incoepti; bellum execrantur, et ipsos
Auctores inconsultos odere profecto.
Hic et primores, animisque et mentibus aegri
Concussis, una coëunt: rebusque profusis
Consulere optantes, sortemque attollere lapsam,
Multa inter sese vario sermone volutant,
Ambigui ne trahant bellum distenta morarum

Per spatia, expectentque, hilarem (quae saepe ferendo
Ire solet) donec vultum, mutataque certam
Ostendat Fortuna fidem, solidâque reponat
Res sede infractas; subito an, taciteque coactis
Relliquiis, tententque fugam, patriamque revisant.
Haec dubiis agitant illi, alternantque vicissim
Consiliis. Mystes (qui non saeva arma sequutus,
Non galea, non ense minax, clypeoque superbus,
Sed pacis niveae suasor, bellumque profanum
Usqueadeo execrans, se pridem millibus ultro
Addiderat) coram simul adstitit, atque ita fatus
Infit; eum increpitans flagrantis numinis aura
Ignibus afflabat liquidis, multâque tremendum
Intrans corda Deus reddebat imagine, multo
Igne accensum oculos, et anhelum pectora flatu.
Aequum erat, o proceres, patriae cum moenia laeti
Alta tenebatis, nec dum ora Subasia Tusci
Sanguinis undarat rivis, maturius omnes
Fortunae casus, rerumque expendere longis
Consiliis fines dubios. Nam nec modo sortis
Dejectae locus, aut strages facinusque regressum
Usquam ullum inveniet. Tot clari sanguine et armis
Occubuere viri, tot nostrae corpora gentis
Fusa jacent campis, turrita ut moenia prorsum
Exhausta, et totam viduatam civibus urbem
Jam rear, et matres confectas luctibus atris.
Praeterea queiscum vobis res tanta gerenda est,
Qua sorte hac versata tenus, cognoscite. Nempe
Haud hominum cum gente. Latet divina sub illis
Stirps ignota modo, sidus mortalibus aegris
Mox ingens, votis hominum precibusque vocandum.
Quare agite, infaustis quamprimum absistite coeptis.
Cede Subasaeis, o pubes; cedite campis,
O proceres: neque enim Tyrrheno (credite, me me,
Credite, numen agit, versoque in pectore numen)
Haec datur exscindi (Deus obstat) moenia ferro,

Imo agite, Hetruscis e gente Subaside castris
Si quos vincla (nefas!) captivos dura coërcent,
Solvite: eant patrias reduces date protinus aedes.
Conticuit Mystes. Proceres divina notantes
Verba, atque ardentes, et scintillantibus aequos
Spectantes oculos astris, vultusque ruborem,
Attoniti mussant. At vulgi frigidus horror
Protinus ossa subit, praecordiaque intima quassat.
Jamque adeo citat inde fugam: monitusque, minaeque
Urgent fatidici vatis, stimulatque deorum
Relligio, iratique exterrent fulmina coeli.
Tum proceres, vati quamquam parere canenti
Festinant, lento ascessu, gravibusque facessunt
Consiliis, coguntque acies, linquuntque Subasum.

Jam belli fremitus, atque arma horrenda silebant.
Jamque optata quies almam, et pax laeta regebat
Urbem, supremo quam stantem in vertice rupis,
Sole recens orto, descendens umbra Subaso
Plurima flavicomo, roranti tegmine opacat.
Hanc, quoniam montis radicibus assidet imis,
Assisium prisci latio sermone vocarant.

Ergo hic Franciscus, nondum praecepta parentis
Detrectare audens, lucris, de more paterno,
Instabat, mercesque auro mutabat avaras.
Quam curam indignans, animo exercebat amaro:
Quin iratus opes execrabatur, et aurum
Oderat infensum, vota et meliora sub imo
Pectore versabat tacitus. Nam saepius ante
Nescio quem inculti glebis squallentibus agri
Thesaurum obduci, vepribusque latere sub aspris
Infossum audierat, cupidus quem forte repertum
Occulit inventor, donec bona singula venum
Det sua, et auricomi mercetur jugera campi.
Atque hunc ille avidus tantum vestigat, et ambit;
Hunc petit, hunc ardet; labor, aut via dura petentem
(Nec dum purpureo fulgens ciet ore rubentem

Lucifer Auroram, nec dum se gurgite Titan
Eluit Hesperio, sed nec dum lucida nostrum
Succendunt orbem, nec dum Styge mersa sub ima
Astra latent) terrere queunt. Pulcherrima quaeque
Despicit ille: animum non quicquid donat Hydaspes,
Aut Tagus, aut Hermus, rubrique invisa profundi
Littora, sollicitant: hic optatissimus olli,
Hic pretio, hic forma praestans: hunc propter, amicos
Jam jam hominum coetus vitat: tantum alta deorum
Limina adit: flavi saepe ardua montis anhelans
Ascensu superat capita, atque antra aspera dumis,
Arboribusque obtecta, umbrisque horrenda requirit;
Vitae ubi primaevae queat atra piacula fletu
Eluere, et divos pacem exorare precando.
Ceu puer aspernans grandaevi jussa magistri,
Oblitus decoris, sanctique oblitus honoris;
Ut tenebrae excussae, redit ut lux pristina menti,
Et peccasse piget; metuens lora aspera, laesi
Continuo affusus genibus senis oscula figit,
Et placat lachrimis irati pectoris aestus.
His tunc assurgens virtutis limina coeptis
Franciscus pulsare manu, haec tunc omina vitae
Ostentare piae, et desueti pandere durum
Callis iter: liquidis nondum tamen ignibus aurae
Divinae expleto flagrabat pectore; toto
Nondum animo exardens, iter affectabat Olympo.
Quippe amor infensus patris, ac timor improbus illi
Mentem adeo ancipitem stringebant dente procaci.
Ergo dum pendet, dum sic cunctatur, et haeret,
Dum fovet incertus sedes de more paternas,
Tabifico molles artus languore solutus
Decubat, extemploque ardet puer obsitus atra
Febre; toro jacet ignavus; corpusque maligno
Dente lues puerile comest, tenerasque medullas;
Inserpant animo donec bona taedia vitae
Humanae, et rebus pigeat servire caducis;

Coelestesque optare domos, et sidera tantum
Discat, et astrigero paulatim assuescat Olympo.
At vero (o Divûm non implacabilis ira!)
Ne mora longa quidem, spatium nec temporis ingens
It medii, aestifici saliens cum pectoris ardor
Occidit improviso, exceditque artubus omnis
Continuo dolor, et macies depulsa; colorque
Mox abit informis; redeuntque in corpora notae
Paulatim vires. Prima id longaeva, cubili
Custos fida adstans, nutrix sensitque, sagaxque
Perdidicit: prima exclamat: simul, o simul ite,
Ite, piis meritos templis exolvite honores;
Et flammas densate aris, pictasque tabellas
Ferte citi; votique rei modo carmine sacro
Rem signate piam, et subitam vulgate salutem.
Non hanc Phillirides; non hanc dedit arte paterna
Phoebigena, aut herbis; non Thessala murmure saga:
Majus numen agit, major vis instituit aegro.
At puer, ut vires et robora nota per artus
Jam validos, jam firmatos colludere sensit,
Attollit sese, atque animum ad majora suburget.
Sic quondam antiquis, tepido jam vere reverso,
Exuviis coluber positis, candore juventae
Exultat viridi, et nitida cervice superbit.
Ergo aderat tempus, quo prima insignia laudis
Debita Francisco, claris sermonibus ultro
Spargeret in populum, patuloque effunderet ore
Fama canens. Divûm Rector favet auspice nutu
Principiis magnis factorum; animumque vigentem
Attollit pueri, et vires sub pectore firmat.
Namque dies solemnis erat, sacra dicta quotannis
Rite Subasigenûm patrum de more vetusto;
Qua juvenum, coetusque senum, matresque trahentes
Implicitos dextris pueros, tenerasque puellas,
Votaque solventes Superis, delubra petebant:
Linigerae alternos adsunt hinc inde choreae

Dum praesto ad cantus, purique altaria circum
Pura sacerdotes Cererem, laticemque Lyaeum
Delibant sacrum, supremaque pocula Regis
Aetherei instaurant, et votis numina poscunt.
His et Franciscus comes unâ accesserat: et jam
Eruere, atque imo jactat se evertere fundo.
Quin etiam excelsae super alta cacumina rupis
Opportuna tuis, nemora inter frondea, servat
Antra olim votis: illic tibi certa quietis
Temperies: illic specus alte hiat ore profundo;
Cui niger horrifica lucus super imminet umbra,
Multum adeo exspirans jam relligionis honorem,
Unde animo detur superos invisere coetus.
Illic interea non exercebere nullis
Insidiis: aderit mox importuna Megaera,
Bella ciens: tu, ne qua pios fraus implicet orsus,
Arma, animumque para, duroque accingere marti.
At cum densa tuo lateri sese agmina jungent,
Ne tu animi victus, ne curas territus acres
Effuge, neu seriem magnorum horresce laborum.
Quin audax i contra: inopum dux omnium egenus
Nimirum tu solus eris, tu posceris unus:
Namque aderunt acies laetae non segnibus ausis;
Nec jam degeneres, clarae aut virtutis egentes,
Accinctaeque ultro casus mox ire per omnes,
Subdent seque tuis animosque, et pectora jussis.
Quas tu magnanimas, et rebus certa ferentes
Corda videns summis, laeto bonus ore vicissim
Accipies, dictisque ultro solabere amicis.
Sed quid ego externo venturam e sanguine prolem
Enumerem tantum? nullon' tua moenia foetu

Te patrem efficient? nulloque Subasida terram
Fulgentem partu, et stellantem floribus olim
Adspicies? Imo (hic juvat o cantata referre,
O juvat heroas rursus memorare futuros)
Ne medii ne longa quidem mora, foetibus ortis
Bissenis hinc tu primum ditabere: primos
Hos lateri comites addet fortuna volentes
Prima tuo: laetus gravium adjumenta laborum
Hos tu prima leges, tecumque per ardua duces,
Rectoresque dabis rerum, et post fata magistros.
Quippe ardor jam tum primaevis acer ab annis,
Conciliis superûm sacratos protinus illos
Ostendet; nec non animis jam vivida virtus
Degeneres penitus curas avertet; et acres
Magnum aliquid mentes invadere, laeta monebit,
Atque ultro sese claris adjungere rebus.
Quales Peneiae viridi sub stipite lauri,
Lenticomi subeunt frutices, matrisque sub altis
Luxuriant circum condenso vimine ramis;
Illa petens altas frondoso vertice nubes,
Pubentes coelo foetus invitat aperto:
Sic olim ipse tuos magnis hortabere factis
Venturos coetus, monitisque vocabis ad astra.
Quid vero infamis telum crucis eminus altum
Adspicio? turpis lethi genus, heu! trabe summa
Quid vinclum intortum pendet? Scelerate Capella
(Sic capitis dicet te primus tegminis usus)
Quid struis? aut quo te caecum furor impius urget?
Immanis quo praecipitem devolvit Erinnys?
Unde adeo exosus lumen spirabilis aurae?
Ah miser, ah male sane, animi depone furorem.
Non licet hoc tentare manu, quod prodigus audes:
Non tua (quo ruis?) haec anima est, quam funere acerbo
Dejicis: ipsa olim est numeris repetenda peractis:
Alterum enim illa manet: qui jam dedit, ille reposcet,
Olli stat magno: haud auro, sed sanguinis empta

Imbre sacri: abjures domino cave perfidus illam:
Tu custos etenim tantum: tibi credita: serva
Innocuam: properat (modo tu ne intercipe) tempus,
Cum sancta, atque atrae pestis, culpaeque profanae
Inscia, terrenos artus, moribundaque linquet
Membra volens, ac sidereo simul ardua coelo
Attollet sese, et domibus potietur amatis.
Ergo age, linque nefas, immania coepta furentis
Frange animi: parce infandis scelerare piorum
Concilium probris: ne avertere dicta verendi
Fida patris: da corda volens, auresque monenti
Da faciles: ille ad nitidas vocat aeteris arces:
Ille iter ostendit, comes, et dux praevius idem.
O scelus! omnino restis placet: aequoris aestu
Surdior irati: non sic alpina nivosis
Haerent saxa jugis, alto aut stat caudice robur.
Nec monitus audit patris, nec mollia dictis
Pectora dat nostris: sacri haud venerabilis illum
Tangit honor coetus: heu! vana procacibus austris
Verba damus; sancta absorbet monita invius aër.
Occidimus: manus instat agens (miserabile visu!)
Obsceno truculenta operi: viden', ipse retortos
Sub collo nodos? heu! jam trabe pendet ab alta,
Turpe onus: abde cavis manibus, parce omine foedo,
Parce, puer, scelerare oculos: age, longius atram
Projice, neve tuis hanc pestem intersere natis.
Tu vero, o sceleris fax atra, incestaque, turpis
Vade anima: i, trux, dira, nocens, inamabilis umbra,
Quo te noxa ingens trahit: i, plaga sexta reposcit
Nempe Erebi: informis specus, atque immane barathrum;
Te nox caeca sinu penitus demersa profundo
Expectat: Phlegeton illic torrentibus undis,
Cocytus lacrymis tibi grandia pocula miscent:
Styx odium, lamenta Acheron, tristesque dolores,
Perpetuos servant olim, ingeminantque per annos.
Tu mox Iscariden comitem comes accipe: juncti

Ite truces, simul ite pares: absumite poenam
Omnem Erebi: Eumenidas scelere incestate cruentas;
Terdenis ille insignis, divesque talentis
Ad mortem aethereum Regem queis prodidit: at tu
Nec scelere absimili, furto nec dispare fulgens.
  O puer, interea tu ne hunc horresce tumultum:
Hoc uno avulso comite, haud tibi deficit alter.
En procul adspectans foetum succrescere cerno
Jam laetum, jam formosum, jam veste nitentem
Compare; jam non vulnus hiat, seriesve cohortis
Interrupta patet; nati stant ordine rursum
Fatali, numeroque acies effulget eodem.
  Verum, age, da faciles oculos mihi, et adspice foetus
Bissenos circum quot subnascentia passim
Germina consurgant: quam densis terra nitescat
Floribus haec: quot noster adhuc inglorius (at mox
Supra Idam, et geminum Parnassum, et culmen Olympi,
Supra Haemum, et Rhodopen, Taurumque, et Caucason
Tollet oliviferum caput) effulgere Subasus (altum
Jam tum adeo incipiat sertis. Quin oppida latis
Circumfusa agris, et quae radicibus imis
Haerent flavicomi montis, sua pignora vulgo
Certatim addicunt ultro tibi, et undique mittunt
Natorum cuneos. En jam socia agmina gentis
Adstant magnanimae circum, seseque parata
Objiciunt jussis. Viden' ut juvet illa sub armis
Esse tuis? juvet insuetum deferre per orbem
Insigne, atque acrem sub te tolerare magistro
Militiam, et jam nunc primum te martis ab uno
Tentati duros cultuque, habituque labores?
  Qui tandem innumeros coetus, populosque sequentes
Commemorem? quid facta ducum tua signa ferentum
Dicere coner ego? aut quae, quas ex ordine terras
Ornabunt aciesque tuae, natique futuri,
Qui fatu expediam? Si famam aequare canendo
Evaleam, primus gemmas quot proferat annus,

Quotque Hyblen populentur apes, quota, turbidus au-
Cum Scythiae donat nubes, Libyamque serenat, (ster
Nix quasset Rhodopen, aut Haemum everberet altum
Scire quaeam, et certis numeris comprendere fas sit.
Quocirca, o columen, spes o fidissima nostrae
Urbis, siste modo, neu singula quaere tuorum
Nomina: sed tantum partem laevam adspice montis;
Irriguis perfusa jacet qua parva fluentis,
Sed morum probitate virens, studiisque Minervae
Splendida, Aracnaeisque micans de more puellis,
Fulginia. Exiguus manans ibi montis ab imo
Prominet, et longi cuneatus acumine dorsi,
Plurimus in campos collis transcurrit apertos:
Et laeto vicina tuas Mevania turres
(Qualis deprenso, nemora inter devia, noctis
Luce sub ambigua, oblati protenta coloni
Dextra viatori callis divortia monstrat)
Prospectu petit, admirans quos littore sacro
Clitumni pascis candenti corpore tauros.
Hic non magna sedent summo incumbentia dorso
Moenia (sermonis Romana licentia prisci
Hispellum dixit); sed, quem pars dextra supini
Collis opacat, ager Cereri, flavaeque Minervae
Nunc bonus, alta urbis late vestigia servat
Jamdudum eversae; et congestae mole ruinas
Occulit infossas terrae, penitusque sepultas;
Convestitque solo viridi, et frondentibus umbris.
Hinc ferro invertit terram dum fortis arator,
Saepe arcus, saepe antra cava, immanesque columnas,
Strataque saxa aperit, tumulosque recludit inanes.
Quae cuncta adspiciens, stupet ille, atque ore dehiscens
Attonito, vocat inventa ad spectacula fessum
Saepe viatorem, laetusque ostendit hianti
Obruta seu templi, seu fundamenta palati;
Et circi moles, et grandia mausolea
Voce, manuque sonat late dispersa per agros.

Ergo (si qua meo est animo prudentia) postquam
Bis lustra explerit Phoebus terdena, meatus
Monstra per obliquos stellantia saepe remensus,
Illic exortum cernes tibi surgere foetum,
Te duce, pubentes cupiet qui protinus annos
Exigere; optatis tetrici sed dura parentis
Jussa, minaeque piis obstabunt: ille tremiscens
Ora patris turbata, animo parebit amaro;
Dissimulansque hilari vultu, simul ardua rumpet
Vota, sagaxque diu premet alto pectore magnum
Consilium, et tristi seram spem corde fovebit.
Interea (neque enim laetis successibus annos
Ire sinet cassos) studiis se addicet honestis,
Cecropi Diva, tuis; et degustare pudici
Libethri audebit laticem, et Libethron amantes
Sollicitare Deas, sacrumque Helicona ciere.
At simul ornarit fleti pia busta parentis
Munere supremo, solidae, viridisque juventae
Jam tum praevalidis firmatus viribus artus,
Militiae confestim inopis juratus inibit
Sacramenta; ultroque merens sudabit in armis,
Fervidus aere tuo: qua sub stipe, fortibus annis
Exactis, jam devexus, jam vertice canus,
Intermissa diu Phoebi, Aonidumque reviset
Otia, cygneasque effundet pectore voces.
Magnorum nec facta ducum, non ditia regum
Sceptra canet; saevo non eruta moenia bello,
Carmine deflebit; non fasces inclyta dicet
Roma tuos; alia arma vocant, diversaque surgent
Sceptra illi, gravibus numeris majora tonabit.
Scilicet hic primus coelo te carmine tollet:
Perque virûm vehet ora tui cantator opimam
Pauperiem regni; qua tu splendere jubebis,
Qui te cumque manent, coetus post fata nepotum.
O laetam, o faustam lucem, quae servat alumnum
Hunc tibi! Da dextram, pater o fidissime, proli,

Da simul amplexus venienti, omenque secundum,
Et veniam exora, feliciaque oscula junge.
Hic Franciscus erit, soboles tua posthuma, et haeres
Nominis: huic precibus sedes mercare beatas. (phos
Haec decora, o puer, hos tibi me enumerare trium-
Aethereus, farique Ales jubet; omnia quae te,
Progeniemque tuam, ventura ex ordine quondam
Certa manent: sed nec quam multos servet honores,
Coelicolas inter, divûm Pater optimus olim,
Quamque hominum fulgens tua, crebra per ora, sonabit
Gloria, complecti numero, nec carmine quivi.
Interea (o laetis numquam non invida rebus
Fortuna!) haud tantis successibus aspera deerunt.
Tristia jucundis jungentur; luctus amaris
Gaudia turbabit lachrymis; et saepe tumultus
Belligeri, unanimis discindent agmina gentis.
Nusquam etenim insidias struere, et pia corda tuorum
Vipereis stygiae pestes furiare venenis
Cessabunt: ruet ante alias accincta colubris
Tisiphone: heu! quot acerba tuis, quae funera natis,
Quas strages, obitusque ducum dabit illa tuorum!
Bellum ingens video, bellum immortale parari:
Hostis amarus, atrox, gens indefessa labore,
Aeterna exercens odia, insaturabilis ira.
Mitto autem ventura olim; et quae maxima porro
Bella aderunt seros perturbatura nepotes.
Nunc tantum perdisce, tuus qua percitus ira
In te ardet genitor; duro quem robore dextram
Armatum, decorisque sui, sanctique pudoris
Oblitum, et saevas torto tibi verbere plagas
Intentantem, atrisque objectantem aspera dictis,
Mox hic cernere erit: quippe hoc te vulnere primo
Prima lues petet; huic tu primo assuesce dolori.
Hujus causa mali infaustum aes, aurumque paternum.
Proinde age, rumpe moras, moneo; hanc puer abjice
Vel tu redde patri: non his domus ista reponi (pestem;

Auxiliis poscit : certas, quibus alta resurgat
Machina, servat opes coeli bonus Arbiter : his tu
Fide ultro, has adhibe, molem his attolle sub auras.
Ne vero Eumenidum saevos horresce furores,
Neu terrere minis ; sed qua vocat ardua coelo
Gloria, carpe viam : nusquam non praevia virtus
Pandet iter ; perque anfractus, perque invia saxa,
Hac duce, non omnes quondam superare labores
Non poteris, donec coelo potiaris amato.
Hic fortunatis sua sidera nosse colonis,
Hic et nosse suum fas solem : hic maximus aether
Auricomos late campos, sedesque beatas,
Nescia regna mali, jucundo lumine vestit.
Talia vaticino senior dabat ore, pioque
Fata recensebat puero, sobolemque futuram.
Ille animo prudens memori narrata locabat.
Praescius at longo tandem sermone fatiscens,
Conticuit vates, pressaque hic voce quievit.

FRANCISCI MAURI

HISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS

LIBER IV.

ARGUMENTUM

Poenitet Franciscum auri subrepti: sed ejus pater, ut recognoscens aera conspicit arcam pene inanem, exardescit contra filium, quem auctorem furti suspicatur = 1 = 43. Nec uxor impotentem iracundiam potest lenire = 71. Sic accensus quaeritat ille Franciscum per urbem, ut poenas de eo gravissimas sumat; deinde pergit ad divi Damiani templum = 96. Ei venienti occurrit aedituus: narrat quid egerit Franciscus: monstrat ubi aurum abjecerit; quibus auditis, placatur aliquantulum animus ferox = 124. Interea Francisco ad secretam templi partem aeditui exorsa volventi, et de suis viribus ad ea perficienda dubitanti, duae hinc illinc matronae sese improviso offerunt = 168. Voluptas, una ex illis, Franciscum ad se allicere conatur = 240. Virtus e contra Franciscum, jam Voluptatis malesuada dicta animo avertentem, docet ejus insidias, et quanta spernentem divitias, mollitiemque eum in Olympo gloria maneat = 387. Virtutis monita Franciscus in animo figit: Voluptas infremit, et sperat fore aliquando, ut Francisci sobi-

les insigne suum sequatur = 417. *Francisci sodales celebrant de more convivium, ad cujus finem Idas puer, illi prae aliis dilectus, canit ad chordarum sonum laudes Divi Joannis Evangelistae* = 548. *Deinde idem ore fatidico Francisci facta, innumeramque prolem praenuntiat*=613. *Francisco procul viso, dapes instaurantur: sed ille invitatus abnuit; sodales mutatum admirantur* = 653. *Postea ad patris aedes accedens, ab eo in primo limine durissime accipitur* = 689. *Ad ea tamen humillime respondet, et quum simul ad Assisii Antistitem se contulissent, coram illo cedit libenter Franciscus bonis paternis, et vestes etiam, quibus tegebatur, patri restituit.*

At puer, auditis divinis ordine rebus,
Protinus infelix aurum execratur, et ultro
Incusat sese, furtumque, pigetque rapinae;
Irataque manu excutiens inamabile pondus:
I procul, aes (inquit) procul i modo, noxia pestis;
Nulla tui spes, nullus amor, fiducia nulla
Me tenuit; solum pia, sed male nota fefellit
Utilitas animum, nostras, sermone relata
Ambiguo, dum vox oracli perculit aures.
Nunc malus error abest: veri nunc reddita lux est:
Nunc, sene fatidico nobis ventura canente
Omina, discussâ rerum caligine, sortes
Coelestes clarae, et jussa intemerata patescunt.
His sese increpitans culpat, sic turbidus aurum
Devovet. Interea genitor de more recludens
Claustra vigil thalami, penetraliaque abdita caeci,
Aera recognoscit: nimirum hac sueverat aegrum
Moerorem cura, atque animum mulcere senilem.
Ut vero emotos vectes, laxa ora, patensque,
Exhaustumque arcae fundum conspexit inanis;
Diriguit primo, atque omnis vigor ossa reliquit,
Membra calor, vocisque sonus defecit hiantem.
At postquam exarsit dolor, excivitque furorem
(Haud mora) continuo vires micuere per artus,
Quantas non animus capiat senis. Ergo ubi vestem
Direptam ex humeris manibus scidit, altius atras
Clamorem ad nubes, et coeli sidera tollens,
Excitat, obturbatque domum: ceu limine ab imo
Suppositus laxis crepitet vulcanus habenis,
Jamque aulam complexa, rapax flamma alta pererret
Culmina tectorum, et densis petat astra favillis.
Hic animi dolor, et furiatae insania mentis
Consedere parum (credas solaminis aegro
Corde sub esse locum): poterat quin ille videri
Jam tum homo, jam genitor, rabidam jam tigrin ab ipso

Deturbasse animo, et saevum excussisse leonem.
Detorquet vacuam rursus cum lumen ad arcam;
Spemque metumque inter trepidus, bis terque relata
Scrutatur sua damna manu: ast, ubi clara patescunt
Furta, neque elusa est acies, Franciscus oberrat
Continuo ante oculos; sceleris mox creditur unus
Ipse auctor, poenisque unus datur, unius atro
Sanguine placanda est ardens patris ira furentis.
Ergo omnis recalet furor: ingeminatus ad auras
It stridor senis: huc amens, modo volvitur illuc
Corpore praecipiti: tripodas modo caecus in altos
Arietat, implicitusque gravi cum pondere, sese
Sternit humi, et canos deturpat pulvere crines.
Tecta sonant luctu, et magnae stridoribus aedes
Assultant crebris; nati, famulûmque fidelis
Continuo accurrit coetus: sed prima furore
Insueto concussa animum moestissima conjux,
Scitatura mali causam, atque ut conscia rerum
Auxilio juvet, et luctus compescat amaros.
Ille amens animi, et natorum oblitus amorem,
Oblitusque piae consortia conjugis, arcae
Tantum ore incumbit prono, atque immugit apertae,
Amplexuque fovet, lachrymisque irrorat obortis.
Stant nati circum attoniti, stat sedula conjux,
Affusumque virum nunc tristis, anilibus ulnis,
Ut valet, attollit; nunc consolantia dicit
Verba: decent animos non haec lamenta virorum,
Saepe monet: saepe, o sancto, precor, illa pudori
Parce ait, et nostri generis decus, oro, tuere.
Non magis aure senex solantia dicta capessit,
Quam pelagi rapidis aquilonibus ira tumescens
Audiat excussâ nautas de puppe precantes.
Perstat in incoepto, nec pectore secius atros
Effundit gemitus, nec diris lingua profanis
Abstinet: infaustum Francisci devovet ortum
Praedonis: dira incestant convincia divos.

At postquam insano gemitu, lachrymisque profusis,
Et clamore nefas ulcisci, futile visum est;
Vertitur immitis mox ad scelus ille cruentum.
Jamque ardens irâ, poenas cum sanguine poscit:
Jam nati infandum versat sub pectore lethum.
Continuoque domus effert se limine ab alto,
Itque amens; certae nec lux rationis eunti
Ulla animo; nec sentit iter, nec currere sese
Agnoscit: mentis furor, atque insania coecum
Perque urbis fora praecipitant, perque arcta viarum.
Raptor, io, conclamat, io, quis te mihi raptor?
Quis te, nate, mihi reddat? nate impie, qua te
Deprendam regione? aut te mihi quo malus error
Praedonem abducit? quae nunc antra improba celant?
Reddite eum superi, vel vos mihi reddite manes.
Hos questus, haec vociferans jactabat; et una
Certum iter ad templum secat: atro in pulvere Erinnys
Ostendit signata recens vestigia nati.
Ut leo, prospexit cum forte e rupe juvencum
Imbellem, nec dum lunata fronte minacem,
Saevit in absentem praedam, siccosque molares
Exercens sub fauce, atram consumit inani
Ore famem; saevum discerpti sanguine donec
Perfundat vituli toto cum pectore rictum:
Sic, rabie stimulante, senex se concitat ardens.
Hunc sacer adverso custos e limine templi
Ut primum adspexit rapidum devolvere cursum,
Amentemque animi agnovit, dirumque frementem;
Continuo secum: Non hic solamine parvo
Est opus: ira gravis senis, implacabile pectus.
Heu puer! immanis discrimina tanta furoris
Nunc, Francisce, cave: patri tu ne obvius aude
Ire modo: nunc fulmineo sub pectore nullam
Aut pacem, aut veniam fas est sperare paternam.
Tantum effatus; et extemplo sese obtulit audax
Ardenti, et placido prior occupat ore furentem,

Hisque atros dictis irarum comprimit aestus.
Huc dudum, generose senex, tuus affuit ultro,
Aere gravis, natus: mihique, heus, prior ilicet inquit,
Quin tu semiruti latera occumbentia templi
Erigis? En agedum, tibi opem damus (ac simul ingens
Detegit argentique, aurique onus); accipe; meque
Hospitio sine paulisper tecum hoc pater uti.
Neu tu rere manus has segnes, neve lacertos
Imbelles, neve hos humeros horrere labores.
Sunt virides anni, roburque in corpore firmum:
Sunt animi, atque animis sua fert fiducia vires.
Ergo adero, et manibus conamina tanta juvabo.
Sic puer institerat dictis, dehinc obtulit aurum.
Contra equidem abstinui vel tactu: multa sed illum
Praemonui; multa edocui; multa insuper acri
Praecinui, seris olim observanda diebus.
Ille autem non segnis opum contemptor, et auri,
Protinus abjecit distentum pondere follem
Flavicomo; quem servat adhuc, servasset et olim
Angulus ille tibi. Viden'? I, cape, solve, recense.
His dictis dolor emotus, pressaeque residunt
Atque irae, atque minae: linquit mox aspera praeceps
Corda furor; redeunt animi, mentisque serenae
Lumina, fronsque hilaris, discussâ nube, refulget.
Extemplo sic ira canis, rabidique quiescunt
Latratus, offâ cereris cum forte viator
Providus objectâ, rictus implevit hiantes.
Interea sese Franciscus limine caeco
(Qua veteris latitans secreto fornice templi,
A tergo sacris aditus de more patebat
Usibus) extulerat, patrisque evaserat iram.
Laurus erat juxta longos servata per annos,
Sacra, virens, divesque comae, multoque vetustae
Culmina quassa aedis complectens tegmine, et umbra.
Hic solium, tumulumque brevem, non marmore secto,
Arboris, aggesto viridi sed cespite, trunco,

Struxerat idem olim, cultor bonus, ipse sacerdos.
Ergo huc se puer intulerat, viridique sedebat
Subnixus tumulo; et vultum demissus honestum,
Multa animum exercet, perque has, saepe ire per illas
Ambiguum cogit partes, urgetque morantem.
Instant divini senis alta exorsa, rudemque
Prima cient pueri mentem, longoque fatigant
Ordine; longa petunt examina. Surrigit ille
Saepe animum, et rerum obnixus vestigat opertos
Tantarum eventus, indeprensosque labores
Explorat vi multa operum: nec se videt illis
Viribus omnino aequalem; fiduciaque omnis
Nutat: in ambiguo est omnis spes: omnia turbat,
Infringitque metus; trepidatque in pectore virtus.
Dant animos contra demissa oracula vocis
Coelestis; dant ora senis divina loquentis.
Viderat afflatum circumspirantibus aurae
Ignibus aetereae, et desueta voce sonantem;
Et scintillantes oculos, vultumque notarat.
Qualis moeror habet puerum, quem dura magistri
Iussa premunt tetrici, coguntque exsolvere lemma
Nodosum; ille animum multa formidine torquet,
Multa sub arcana taciturnus mente volutans,
Sopiti crebro ingenii rude pulsat acumen:
Talibus urgetur curis Franciscus, et una (lud
Spemque metumque inter, nunc hoc, nunc deligit il-
Consilium, alternatque vias, aditusque viarum.
Cum geminae hinc illinc matronae protinus adstant,
Atque improviso circumsiliere sedentem.
Obstupuit puer, et rubor ilicet ora notavit.
Illae, ut perpetuis grave et implacabile bellum
Exercent odiis, sibique adversantia semper
Regna tenent; sic diversis mox utraque donis
Aggressae puerum, blandos hinc inde tumultus
Miscent, et vario compellant ore vicissim.
Una prior(quid non praeceps audacia tentat?

Exiguas haec odit opes, durosque labores;
Obscenisque choris, epulisque addicta profusis,
Sarrana sub veste micat, quam circinat album
Maeandro argentum duplici, quamque aurea morsu
Fibula subnectit, currente per ilia cesto;
Mollis Achaemenios cervix exhalat odores,
Asper obit circum quam gemmis aureus orbis)
Occupat: Heus, curis quid mentem decoquis aegram,
O puer, insuetis? Unde haec modo turbida imago?
Quis novus hic moeror? quae nox simul improba fronti
Incubuitque repens, tristique advolvitur umbra?
En ego (pelle animo curas) modo blanda Voluptas,
Quae soleo, en adsum: votis, age, dona ferentem
Certa tuis, plenâque manu bona gaudia cerne:
Altricemque tuam, primamque agnosce magistram,
Non te acres, duce me, curae, saevique labores
Urgebunt; rubri non urent fervida Cancri
Sidera; non hyemes austri, gelidosque triones,
Terrificos non tu coeli patiere fragores:
Sed facili, sine nube, dies tibi limite current:
Otia te expectant jucundae mollia vitae.
Ecquid opes tibi deesse queant, junctissima cum sit
Uni conferto dives mihi Copia cornu?
Huic ego prima comes; sors una, eademque voluntas
Ambabus, sceptroque pari, solioque potimur;
Communesque tenemus opes, et fundimus ambae.
Tu ne dissimules: equidem, vagitibus auras
Cum tua vox rupit primis, mox sedula custos
Adsum ultro, ad cunas simul excubitura per annos
Multum primaevos. Tum vero prodiga, adulto
Quae non dona tuli? quos non, sine more, reclusi
Thesauros? An nostra olim cura omnis inanis?
Omnis servitii fusus labor? irritaque omnis
Gratia? Sed jam nunc moeroris provida causam
Nosco equidem, nosco subitam: fraus nulla profecto
Non te ambit; nullus non te premit hostis. Age, instat

Nempe inimica mei, et numquam non aspera regni
Quassatrix Virtus: blandis haec improba dictis
Te ciet. Ut male suasus abis! ut perfida sectans
Consilia, ingratos vesana concipis annos
Mente, avidus dum tu promissa ingentia durae,
Oblatosque ambis animo Virtutis honores!
Quas tibi non poenas, quae non parat illa sequenti
Supplicia? I, te durum iter, ardua saxa, ruinae;
Te tribuli, spinaeque manent; te turpis egestas,
Te vocat atra fames: jam mille incommoda vitae
Impendent, casu te dejectura profundo.
Hac duce, contemptis opibus modo Paulus avitis,
Suffugiens coetus hominum, et spelaea, ferarum
More, colens, tandem macie confectus, et annis,
Esurientem animam vacuas effudit in auras.
Tuque, age, nunc o dic, Antoni, quaeso, labores
Qua mercede tuos Virtus levat, ire per oras
Ardentes Cancro, et saevis aquilonibus ustas;
Dum te adeo hortatur, crebrisque furoribus urget?
Possem alios (vacet interea) tibi mille referre,
Quorum, Virtutis caeci dum castra frequentant,
Saeva infelices animas elisit egestas,
Sive sub horrificis antris, seu sub jove nudo.
Talia, ni duris quamprimum averteris orsis
Inconsultum animum, servat tibi munera Virtus:
Te rogus hic manet, hac nimirum ornaberis urna.
Contra autem, si me quondam tibi sana ferentem
Consilia audieris, non te discriminis ullus
Urgebit casus; non importuna quietos
Abrumpet somnos cura, aut turbabit iniquis
Excubiis animum: soles (age, pectore tristem
Pelle deam) modo felices en ordior ultro
Ipsa tibi: ne curva repens, turpisque senectus
Ingruat (idque meum est) faxo: languoris at expers
Omnino adveniet, vegetoque colore nitescens.
Haec ore infausto dederat; sic voce profana

Moerenti institerat puero illaudata Voluptas :
Cum subito adversis exsurgens altera votis ,
Virtutis nomen divina voce professa est .
Non picturatae, mollisque licentia pallae
Velat eam , non Eois fulgoribus ardent
Pectora , contortum non collo nexilis auri
Pendet onus : capiti super alte aggesta rigescit
Canicies : frons hirta subest , cui masculus horror:
Incessus vero , et divini spiritus oris
Monstravere deam , qualem se cominus ultro
Infert siderei spectanda per atria coeli .
Ergo ubi coelestem vultum manifesta virago
Extulit, haerentem puerum, ac male suada procacis
Dicta Voluptatis , promissaque munera jam tum
Avertentem animo , dedignantemque severo ,
Leniter incessit dextra , ac sic intulit ore .

Te ne etiam nobis, puer, invidiosa Voluptas
Eripiet? te ne insidiis involvere blandis
Incautum parat , et nostris avertere signis ?
Invidet illa adeo jam te mihi (nosco) tibique
Immortale decus , simul et venerabile nomen ,
Aethereumque aditum, et summi tecta aurea coeli.
At non haec quondam (Patris dum sedibus adsto
Siderei , penitusque oculis heroas adactis
Aeterna inspicio claros sub mente , legoque
Venturorum animo labentia nomina) de te
Praecinui : talem non te longum ire per aevum
Promisi , ostendique , aut hoc te nomine finxi.
Sed fore , quo nostrum totum pervaderet orbem
Nomen , et ignotus vitae jam surgeret usus ;
Quique olim attollens desueta insignia, primus
Ductor ab excelsa flaventis rupe Subasi ,
Mille, canens, acies hominum indiga ad arma vocares.
Talin' ventosis queat ergo immunda Voluptas
Promissis mulcere animum ? talem improba fictis
Blanditiis petere audebit ? Prius aurea coelo

Sidera diripiet, furtoque abducet ab alto;
Ante polos caeco nitidos miscebit Averno;
Quam te divinis avertat coetibus illa,
Enthea quam regni videat dispendia Virtus
Tanta sui. Stant quippe meae praesagia mentis;
Stant immota deûm, stabuntque oracula quondam;
Nec turbat casus, nec vis ea dimovet ulla:
Cuncta sed aetherei nutu labentia Patris
Provenient facili. Tu vero hic exue mentis
Tristitiam; pelle infestos e corde timores.
Laeta decent quos laeta fovet mea dextera: qua tu
Auspice nunc (agnosce, puer, bona gaudia) magnis
Assurgis coeptis, opera ad memoranda vocatus.
Quem te (nec sentis) quantis fulgoribus olim
Insignem adspicient homines! Quae fama per orbem
Provehet, attolletque astris quae gloria! cum tu
Gentibus innumeris fidus monstrabere ductor:
Nec non aethereo jam tum mortalibus aegris,
Delapsum coelo, clarum observabere sidus.
Interea blandae patulas des cantibus aures
Sirenis (moneo te nunc bis terque) caveto.
Neu tu vipereis imprudens ora venenis
Imbue: circaeis quin, heu! mala pocula succis
Plena fuge: insidias tendit (ne crede) Voluptas:
Et quo te captum sinuosa fraude, ruina
Devolvat prona, struit illa, aperitque barathrum.
Quippe haud irati rutilantia fulmina coeli,
Haud acies structae belli, et furialis Enyo
Officiunt homini magis atque effraena Voluptas.
Scilicet haec pleno fortunatissima cornu
Donat opes magnas, eadem fidissima partis
Servatrix, custosque venit. Sed tunc reor ista
Munera dat, cum sceptra rapit, cum diruit urbes,
Cum regna evertit, cum dat considere in ignes
Moenia, et aequa solo late fumantia ponit.
Dicite Pergameae vos haec modo funditus arces

Eversae : sed facta procul jam tum extera sunto :
Vestra per ire juvat . Magicosne exaudiit illud ,
Roma , tuum culmen rerum insuperabile, cantus?
Anne voluptatis sensit lethale venenum ?
Nempe recens parvo donec succrescis asylo ,
Urbs contenta viris rudibus , durisque bubulcis
Regnata , Eoo nec dum, Hesperioque sub orbe
Formidata ; Italis sed tantum cognita vicis ,
Vix dum Fidenis, Curibus vix dum aequa severis ;
Dura Voluptatem spernis , sagaeque vocantis
Munera connivens , obstructâ averteris aure .
At postquam bello clarum , dextraque potenti
Coelo nomen iit , seseque immiscuit astris
Gloria , divitiis visum est effulgere pulchrum .
Inde animis crevit mox execrabilis auri
Nil non ausa fames : tum primum spargis amomo
Luxuriata comas , mitraque imbellis avita
Tempora praecingis : Romano e vertice terror,
Heu ! Gradive , tuus tunc exturbatur , et altus
Cristarum procumbit honos ; et fulgidus auro
Languet Achaemeniis perfusus odoribus horror .
Hoc ergo aere merent tecum, o generosa Voluptas,
Tyrones : hac sede locas , tantisque locatos
Emeritos ornas donis , cumulasque triumphis .
Nunc contra, flecte huc acies, age, respice gentis
Castra meae . Viden' ut durus labor urgeat illam?
Instent ut curae ? Sed non et futilis ardor
Curarum, nec frustra animos premit. Adspice, magnis
Quae decora accedant; quae circum gloria factis
Exsurgat ; tantos quae molliat aura labores.
Hunc ne ergo te, vana, meis abducere posse
A castris sperare audes ? hunc fraudibus ambis,
Subdola, et aversum tua sub juga mittere tentas?
Cur non et stellas summo divellere coelo
Conaris ? maria undisonos dediscere fluctus
Quin tu eadem, ventosa, jubes? quin flumina prona

Stare modo, et cursum velocem sistere cogis?
Exue, vafra, dolos: ne tu spes concipe tantas:
Ne scelus hoc, ne finge nefas: juratus honesto
Aere meret sacrae Virtutis: et en ego tantis
Adsto potens sacris: puer hic nunc, me duce, tentat
Prima rudimenta; et pubentes implicat annos
Militiae, addicitque meae, et se devovet ultro.
  At vero ingressum mecum una, haud protinus illum
Molle iter excipiet; sed dura atque aspera primo
Adspectu objiciam: primumque occurret iniquus,
Arctus, inaccessusque aditus: calcandaque longum
Semita caeca viae, multâque ambage reflexa. (est
Quin illum horrifici boreae stridentia flabra
Pertundent, curique truces; nudoque sub axe
Aetheris, illum hyemes madidae, canaeque pruinae,
Et gelidis noctes perfundent roribus atrae;
Ardentisque adeo exurent fulgentia Cancri
Astra: gelu quo jam saevo duratus, et aestu,
Acrior excipiat casus; magnisque periclis
Ne dubitet, durisque malis ultro obvius ire.
  Haec equidem puero (neque enim mihi fallere mos
Munera aperta fero: prius haec exhauriat ille, (est)
Et quae, nunc longum, fata enumerare, necesse est.
Nec vero effusus labor hic, non irritus ibit.
Imo ubi defunctus fatalis limite cursus,
Debita complerit duratae tempora vitae,
Nec jam improviso deprensus in aequore vasto,
Sed laetus, sed abire optans, lucemque paratus
Linquere mortalem, terrenos exuet artus;
Continuo ipsa adero, palmamque, et digna laborum
Munera praetendens dextrâ. Tum laurea fesso
Serta comas cingent: merito tum laetus honore,
Sidereis mecum subvectus ad aethera bigis,
Nec famae, nec laudis egens, conscendet Olympum.
Illic exuviasque tuas, tuaque arma, Voluptas,
Constituet tumulo, Regi immortale trophaeum

Aethereo, divûmque choris permistus, et inter
Bissenos heroas, aget simul ipse triumphos.
Haec Virtus dabat ore: puer (divina loquentis
Orsa deae miratus enim) silet, haeret, et hiscens,
Nil contra, nil voce refert: audita locabat
Tantum animo arcano; et praesentis numina divae
Ardet; inexpletumque cient pia gaudia mentem.
At vero haec ubi cuncta amens, petulansque Volu-
Audit, inpatiens irae, fremituque gemiscens, (ptas
Continuo exclamat: Nil vos, nil demoror ultra:
Vincis (ait) Virtus o nostris invida regnis,
Vincis. Erit tempus, tibi cum nova signa ferentem
Hunc dabitur vehere, et late spectare per orbem
Insignem palmis, cogentemque agmina castris
Innumera, Eoae venient sub signa cohortes;
Et Tartessiacis properabit miles ab oris.
Ast ubi vitalis defunctum luminis aura,
Et claris fulgentem astris, super astra locaris;
Nimirum illius quae jam ventura propago est,
Tunc nostrum attollet, lateque insigne per orbem
Laeta vehet: tunc sponte meis jurata maniplis
Adjiciet sese; et leges, monitusque paternos
Aspernata, mihi captiva inserviet uni.
Sic laetam pueri sobolem indignata Voluptas
Devovet; et vacuas mox victa recedit in auras.
At Virtus haerentem animo, vultumque pudicum
Dejectum, excutiens dextra, solatur amicis
Extemplo dictis, et mentem suscitat aegram.
Qualis flamma repens salit, atro sulphure tactâ
Scintillâ; aut caecam sub noctem qualia scissis
Nubibus astra micant; tales sub fronte serena
Francisci micuere oculi, et vis reddita menti est.
Illius interea comites, de more, frequentem
Conventum laeti tecta ad consueta vocarant.
Alta fuit domus, arboribusque obducta latebat,
Suffugiens populi turbas, penitusque recedens

Moenia ad extrema, et secreta silentia captans;
Quo, sive indulgens epulis, seu ludicra plebem
Spectatum admittens, pubes stipata coibat.
Ergo instructa domus stabat, pictisque renidens
In morem aulaeis, ostroque accensa superbo:
Liminaque alta patent. Et jam delecta juventus
Laeta toris aderat positis: tum rite ministri
Festini expediunt tonsis mantilia villis,
Et plenis cererem calathis, bacchumque lagenis.
Consedere altis juvenes, atque ordine longo
Discubuere toris: manibus data flumina tentis
Accipiunt: fervens famulûm manus instat, opimis
Et dapibus mensas onerans, et pocula miscens.
Vescitur, atque epulis impletur laeta juventus:
Spumantes baccho dulci crateres inundant.
Et jam rite diem niveus signare lapillus
Cum posset, furvum Franciscus subdidit absens:
Quippe omnes (nova res, aliasque insueta) quod unus
Laetitiam turbans, et tantae gaudia lucis,
Ille absit, pariter demiranturque, dolentque;
Omnis in absentem fertur manus, unius omnes
Nomen amant, unumque omnes uno ore reposcunt.
Jam vero depulsa fames, et factus edendi
Finis erat. Late famuli jussere patentem
Esse aulam: fluit undanti mox turba recessu;
Exoriturque repens strepitus, perque atria laetus
Paulatim inserpit rumor: jamque ardua tecta
Vocibus assultant. Poscit tum praesul ab alto
Plectra toro, accirique jubet qui carmine mentes
Mulceat insueto. Juvenum pulcherrimus Idas,
Idas Thosonides, puero puer unus ab annis
Francisco teneris, magno dilectus amore
(Scilicet e populo quo non ardentius ullum
Pulchrae inhiant oculis, insectanturque puellae,
Nec generum matres tam crebra Subasides optant)
Adstitit evinctus flaventia tempora lauro.

Hunc puerum sacri Permessi ad flumina raptum,
Pectine Calliope, cithara donarat Apollo.
Inde toros dulces, et vincla jugalia vitans,
Ludere foemineas spes, et contemnere amores.
Tantum illi Musae cordi, plectrumque canorum,
Et citharae; tantum numeros adjungere nervis
Argutis curae, et dulces aptare camoenas.
His et saepe hominum coetus, his detinet aegros,
Demulcetque animos. Sin vero (is crebrius illum
Raptat amor) puri labentia murmura rivi,
Aut nemoris solus frondosa silentia nactus,
Forte toro viridi, patulave sub arbore sedit,
Et fidibus plectrum, plectroque aequabile carmen
Junxit; ad insuetas nemorum alta cacumina voces
Dejicit, et pronas fluviorum distinet undas:
Non secus atque Orpheus emolliit Ismara cantu.
Ergo ubi consuluit vocales pollice nervos,
Molliter increpitans, et consona fila reperta;
Sic tandem obloquitur, numeris concordibus orsus.
Phoebe pater, mea plectra move: date carmina menti
Libethri secreta Deae; praepandite castos
Nunc (si quando mihi) totosque recludite fontes:
Quando quidem nunc, Parthenius quae carmine sacro,
Sub nigra residens cecinit meus ilice quondam;
Dum pulchrae assultant valles, scopulique Subasi,
Et cava responsant sacris concentibus antra;
Dicere suadet amor: suadentem attollite amorem.
Illum equidem, dum forte vago latus erro per alti
Montis oliviferum gressu, procul auribus hausi,
Divinis laetas mulcentem vocibus auras,
Dulciaque erectas flectentem ad carmina fagos.
Hic tacite, memor, illius vestigia lustro
Dum furtim, sic me saepe observasse canentem;
Cominus aggredior, speculorque e rupe propinqua.
Ille hominum curis jam prorsum exutus, et ore
Haud mortale sonans, coelesti evolvere cantu,

Ut puer aetherei Regis delectus, ad undas
Aegeas quondam depulsus, vicerit iram
Principis immanem Ausonii; durumque ferendo
Fortiter exilium, rabiem satiarit iniquam.
Tum canit, angusto telluris limite clausus,
Fluctibus aequoreis circumspumantibus, aegram
Duxerit ut vitam, et rerum, nil quassus, egenam.
Utque idem Rex ipse deûm (ne triste levaret
Exilium pueri nullum solamen amati)
Qualis erat cum nubivago levis aurea curru,
Orbe triumphato, quondam remeavit ad astra,
Et patriam intravit nequicquam inglorius aulam,
Sese olli obtulerit, manifesta in luce refulgens:
Utque altam Nato compar, magnoque Parenti
Aethereae mentem succenderit ignibus aurae:
Secreta ut dederit, monstruosaque cernere visa,
Et brevibus quondam foliis spectanda notari
Jusserit; innumeris quae dehinc labentibus annis
Posteritas legeret, pariterque ignota videret.
Ille autem cantu modo Pathmia saxa replebat,
Antra colens; modo littoream delphinas ad oram
Devius aetherea mulcendos voce trahebat.
Tum sequitur memorans, puer exul ut ardua supra
Sidera mente vagans, subterque humentia cernens
Nubila, Memnonio spectarit ab orbe ministrum
Surgentem, umbratumque humeros exstantibus alis,
Insignemque notis, supremi qualibus ardet
Vera Dei Proles, magnumque incendit Olympum.
Parte alia, ut structos nempe ac novisse paratos
Terrigenis, pelagoque satis, generique virenti,
Quatuor Aligerûm pariter de gente ministros
Viderit, adversisque polos utrosque tenentes
Frontibus, ac metas hinc inde Hiperionis ambas:
Utque hos exsurgens contra, atque audentius Ales
Signifer, increpitans ingenti voce moneret.
Ah! pueri, ne terrigenas, ne laedite ponti

Monstriferi partus: plantas servate virentes:
Parcite gramineos caules divellere adunco
Vomere: ne saevo molles decerpite flores
Ungue: mala foetus ne perdite falce latentes.
Ah! pueri, jam terrigenas agnoscite cives
Nostros, queis dudum transcripta sedilia coeli
Aurea servamus; generis quae plurima nostri
Pars dolet amissa, et dis adversantibus optat.
Quin agite o potius, sociûm modo frontibus alte
Figite signa, auro nostros redimite sodales:
Fulgentesque notas, et Regis inurite nomen
Pectoribus; quod nos colimus, quod tartarus horret.
Tempus erit, cum siderei laeto agmine regni
Invadent aditum, atque audaci moenia saltu
Ardua conscendent, geminataque tecta subibunt.
Nos contra haud telis arcere parabimus illos,
Invidiave truces coelo exturbabimus alto:
Sed placide exceptos, dignatosque aethere, nostris
Conciliis ultro magno adsciscemus amore.
  Hactenus evolvit sacro meus extera cantu
Parthenius: repetens patriam, sic voce Subasum
Fatidica mulcet, venturaque gaudia narrat.
  Excute, oliviferis cinctum caput excute ramis,
Flave pater: jam nimbiferos discinde vapores,
Atque serenatum super ardua tolle cacumen
Astra. Tibi adveniet (patulae sub tegmine quercus
Dum circum in laetos glomerantur Oreades orbes,
Exercentque leves thiasos, procul abditus almam
Ipse Palen dudum modulantem haec carmine vidi,
Et vidi, et pavidis spectabam laetus ocellis)
Adveniet (ne vana putes praesagia nostrae
Vocis: amat te sacra Pales super alta Licaei
Pascua, jamque tuo permutat Maenala luco)
Progenies demissa polo. Jam nostra pararunt
Moenia nascenti cunas: pueroque sagaci
Vana rudimenta, et civilis lucra negoci

Damnosa objicient ; queis tantum limine primo
Libatis, retro, presso velut angue, reducet
Continuo ille pedes ; vilesque e pectore curas
Deturbans, animo graviora inolescere coget.
Pastor erit : saltus olli hinc, aestivaque cordi
Pascua erunt : nec parva satis ; nec finibus arctis
Contentus : patrioque solo consistere tantum
Non illum millena gregum quondam agmina, nec jam
Succrescens foetura sinet : tua laeta profecto
Non sat erunt pecori venturo culmina alendo.
Hinc e vicino prospectans vertice magna
Incrementa gregis, pater imbrifer Appenninus,
Prima tibi auxilia expediet ; primosque receptus
Ille ovibus pandet ; sociosque in munere tanto
Picenos secum colles adsciscet amoenos.
Nec non Tyrrheni tractus hinc pinguia late,
Auxilio ventura tibi, jam pascua servant.
Inde Sabinorum vulgo gens aspera, saxis
Praeruptis caulas mille extruet : accola mille
Littoris Adriaci : latis quot Dannia campis
Septa paret, nec scire mihi, nec dicere fas est, (summam.
Sed quid ego heac modo pauca loquor? rerum accipe
Quos oriens, quos deinde cadens sol adspicit altus,
Quos premit Arctos iners, madido quos concitat au-
Ore, Subasaei pascentur montibus agni. (ster
Quid vero tu sola nocens Hispania? quidve
Infidos saltus, atque illactabile pandis
Hospitium? quid in arma furens, crudeliter agnis
Innocuis molire necem? Da pascua saltem,
Ah! tu, Pyrene, da fida; aut tu, bona Calpe,
Excipe balantes, et tuto in culmine serva;
Donec semiferos animis gens impia mores
Exuat; et furiis longe, monstrisque fugatis
Tartareis, sanctum deferre assuescat ad aras
Libamen puras, et numina certa vereri. (sis
Quid referam quod Roma ingens, Scythiaeque nivo-

Formidata jugis, tecum pia foedera junget?
Hinc tu olim arte potens, propriisque salutifer herbis,
Multa lue infecti pecoris contagia tolles.
At qui septenos pastor moderamine colles
Compescit sacro, justisque inflectit habenis,
Vulnus opem quodcumque tuae praesenserit artis,
Nec tentare manu, non ferro, aut urere flammis
Audebit, non jam Tyberinis eluet undis.
Fatidico juvenis sic tantis ore loquutus,
Tandem improviso finem dat, voce repressa.
Tum simul enervat chelyn, illustremque corona
Subligat, et Phaebo munus suspendit eburnum.
Tollitur extemplo clamor, perque ampla volutus
Atria, Franciscum ingeminat: puer eminus alta
Viderat e specula venientem. Ergo ocyus omnes:
Instaurate dapes, sublata reponite (clamant)
Pocula. Festinant famuli, rursumque juventus
Lecta ministeriis repetitis ordine sudat.
Primus Thespiades sed enim laetissimus Idas
Dimissas revocat, melioraque carmina poscit.
Interea insignis praeda Franciscus honesta,
Ibat ovans, multumque gerens sub corde magistrae
Virtutis numen; cui sese hinc inde sodales
Objiciunt, suadentque aedes divortia ad altas.
Ille animum incoepto fixus, vestigia nusquam
Torquet: nec mentem vis, aut ciet ulla voluptas;
Non thiasi, non laeta trahunt convivia; dulces
Odit concentus. Sicula de rupe puellae
Semiferae sic Dulichias, dum persona velis
Saxa insopitis, argutaque littora vitant,
Carmine tergemino frustra allexere carinas.
Obstupet insuetu juvenum manus excita casu.
Jamque illum attonito similem, pariterque figura
Exutum adspiciunt solita: jam tum ora, coloremque
Immutasse vident. Mirantur lumina claris
Aequa astris, nec non radiis ardentia lucis

Auricomae, vultumque novo fulgore micantem:
Mirantur tacitae praeclusa silentia linguae.
Concussi hinc animos horrent, trepidantque, pavent-
Attonitique nova chari super indole amici, (que;
Multa inter sese vario sermone volutant.
Monstrum quippe insuetum haud credunt numinis ex-
Sunt qui (divinae nam vis corda excitat aurae) (pers:
Continuo pueri fata adventantia narrant.
Ille viam interea secat alto numine plenus;
Non jam animum quassus fatis, aut turbine rerum
Ambiguo; caecis nequicquam erroribus actus:
Gaudia jam ridens humana, et corde quieto
Spemque, metumque domans, fortunam calce minan-
Securus validà premit, increpitatque superbam: (tem
Mens vero excelsa, vitio sublimior omni,
Arce sedens, vulgi curas despectat inanes.
Ergo iter accelerans, notas genitoris ad aedes
(Seu casu, seu more) puer, jam tum immemor irae,
Oblitusque senis rabiem, tendebat: et ecce,
Ut forte e primo tum sese limine agebat,
Obvius huic ille, haud certo sine numine divûm.
Ac prior: Heus! (inquit) quae te fiducia adegit
Has iterum sedes petere? haec invisere tecta,
Perfide, adhuc audes? sceleris nec territat ultrix
Te poena? accessus nec te pudet, improbe raptor?
Tu ne ergo olim haeres, multum cui nostra laborat
Dudum canicies? cui saeva incommoda suffert?
Sed piget obsequii, piget et genuisse nocentem,
Et genitum tanto simul enutrisse labore.
Semifer horrendo potior mihi Cacus in antro,
Crevisset, manibusque meis illectus, et ore,
Hyrcana de rupe leo mansuetior isset,
Sed jam equidem faxo ne tantum impune piaclum
Edideris: te dira fames, te turpis egestas,
Et, quae paulatim faciem depascet et artus,
Te manet extenuans macies: torreberis aestu;

Et nivibus canis, boreaque, euroque rigesces,
Quippe meis jam frustra opibus spem ponis: ad artes
Te miserum ignotas, acresque accedere posthac
Convenit; expertemque domus, sortisque paternae,
Cedere oportet agris; nec fas sperare regressum,
Quin, hercle! externi potius mihi sanguinis haeres
Ignotus succedet, opes cui, perfide, magnas
Transcribi spes ipse tuas, elusus inani
Incoepto, adspicias; longeque ejectus avito
Limine deplores, lamentaque tristia fundas.
Dic, agedum; si qua est olim ventura senectus,
Quam, reor, ultricem scelerum tibi numina servant,
Qualis erit? Nempe innumeris circumdata morbis,
Marcida, foeda, gravis, rerum indiga, debilis, orba.
Haec te olim expectant decora: his effulgere signis
Mox dabitur; tantis insignis honoribus ibis.
Audierat natus convicia saeva parentis.
Utque senex cessit, simul ut vox atra quievit,
Excepit puer, et sedato corde loquutus,
Demulcetque animum, atque irati pectoris aestus.
Magne senex, claros inter venerate colonos,
Rite Subasigenas, non huc me (ut rere) profanus
Egit amor, non hos, \cunabula nota, penates
Sorte peto; sed consilio, assuetoque reviso
More domum patriam: non advena pulso, sed olim
Progenies, sangisque tuus, damnosa voluptas
Dum me deliciis, aurâque elusit inani.
At modo, discussa errorum caligine caeca,
Cum verum agnosco, promissaque vana dolosae
Temno voluptatis, jam tum meliora sequutus
Consilia, exsortemque domus, rerumque tuarum (det.
Immunem ire jubes! Esto; haud me haec cura remor-
Sed quis, age, hic furor est? animum quae tanta sube-
Ira, ut me virtutis iter, divûmque vetares (git
Jussa sequi? Si te quondam, mala coepta sequutus,
Mortalem colui genitorem, operisque profani

Saepe equ'dem auctor eram, tua dum mandata facesso,
Nunc ergo immenso divûmque, hominumque Parenti,
Et rerum Auctori fallax parere negabo ?
Si te lucra juvant, et inexsaturabilis ardor
Urit opum, quas una dies fert, atque eadem aufert,
Quae tandem invidia est, me nunc optare sereni
Divitias coeli, solidumque capessere regnum ?
Quae me jura vetant, quod fas subducere puppim
Quassatam ventis, et tuto condere portu ?
Proh! superûm pietas, aequis haec aethere ab alto
Luminibus spectas? tuque o simul inclyta virtus,
Haeccine prima meis defers modo praemia factis?
His animum attollis, meque ad majora suburges
Muneribus? durosque foves sic blanda labores?
Sed quid ego his audax onerem te, diva, querelis ?
Nullae in te fraudes, non me petis arte dolosa:
Et tua regna mihi dudum patuere, tuique
Mores ; et vitae cultus jam notus, et usus :
Cum tu saxosos calles, saevosque labores
Militiae objectas, spondes castra aspera bellis.
Sed jam, age, nunc ad te, pater, et tua dicta revertor.
Non equidem timui, nec erat mihi causa timoris,
O senior grandaeve, tuos invadere caeca
Thesauros sede abstrusos. Nec criminis auctor,
Qui dudum indulgens ludis impune profanis,
Et toties large convivia laeta reponens,
Depraedatus eos minui. Mihi visus, ab alto
Aethere nunc monitus, divinaque jussa sequutus,
Si partem eriperem (fateor partem ipse revelli)
Nempe supervacuam tibi ; sed quam jure reposcit
Vulgus inops. Quid enim terrae communia avarae
Altius infodisse juvat ? quo crimine caecas
Promeruit latebras aurum ? quid carcere in imo
Mille seris pressum gemit, et compagibus arctis ?
Esto autem, non te miserorum tangit egestas,
Auxilioque juvare homines, opibusque recusas:

At magnis saltem meritos quin ponis honores
Coelicolis? Quin tu sinis, instaurare volentes?
Quippe modo ipse tuis opibus, proprioque labore,
Desertas aptare aras, veterisque novare
Devexos postes, et tecta labantia templi
Conabar; praeceps animi cum tu irruis in me:
Jamque tui oblitus decoris, morisque paterni,
Oblitusque deûm, et sanctae pietatis, amaris
Me petis infensus dictis; et probra, minasque
Intentans acres, poenas cum sanguine poscis.
Ut vero me cuncta juvant! ut talibus aures
Demulces nostras probris! Agedum, tibi surgat
Nunc externus, opes tantas qui sorbeat, haeres;
Surgat: ego en mox cedo bonis, nec demoror ultra:
Cedo volens: neu quis mea dicta redarguat unquam,
Neve olim ulla dies valeat rescindere factum,
Faxo equidem sit teste ratum, sit praesule sacro
Immotum, fixum, certum, irrevocabile, sanctum.
Quare, age, tolle moras segnes: simul accipe dextram,
Inque vicem da, magne senex: et praesulis altam
Mecum una i sedem, atque ambo sacra tecta petamus;
Dixit: et haerenti obnixus simul instat, et urget,
Acceleratque abitum. Dictis audacibus ille
Perculsus nati stupet, et vim sustinet aeger,
Cunctaturque efferre pedem, et multum ire recusat.
Ac veluti immanis, cum victa represserit atram
Ira famem, jam molle tuens, jam lumina mitis,
Torva leo stragem, mutumque horrescit ovile,
Et pigeat magnae (ni vis neget effera) caedis;
Sic pia Francisci confestim dicta, parentis
Mulserunt rabiem: jamque aspera probra, minaeque,
Atque odium, furiaeque cadunt, pacataque linquunt
Corda; ferosque senex, mollito pectore, sensus
Exuit, induiturque hominem; patremque professus,
Vix jam complexus, vix distinet oscula nato.
At puer (insani quamquam emigrarat ab ore

Tyrones: paret monitis non aspera pubes.
Qualis Strymonias volucres, iter ordine primae
Servantes bifido vocis, dum stagna tepenti
Frigida permutant Nilo, captantque calorem
Assuetum, prospectus habet; qualisve magistri
Fida greges docti vestigia pone sequentes,
Sensus agit; tali comitum delecta piorum

Turba, ducis praecepta animo, ac simul aure capessit.
Quos ubi Franciscus nil jam virtutis egenos
Cognovit, circumque adeo sese agmine denso
Confertos, vidit monita expectare salutis,
Constitit in medio, et sic altius intulit orsus.
  Si libet, o socii, cunctarum semina rerum,
Ordine quove fluant, vel qui quibus impetus, aut quis
Insit amor, quibus aut subsint evolvere fatis:
Nil erit, humanam quod praestet origine gentem,
Cernere: nil dabitur rationis honestius usu,
Nil et amabilius: nil semine pulchrius almo,
Quo gens una hominum coelo demissa sereno,
Terrenam ut molem exagitet, corpusque caducum,
Aethera rursus adit, seseque interserit astris,
Et nostra effulget cognato gloria coelo.
  Et piget ergo animum, piget excoluisse per artes
Virtutum? ignavos et nos juvat ire per annos?
Et patimur, moles, terrenaque corpora sensus
Aethereos domitent? aurai simplicis ignem
Mortales hebetent artus? inserpere labem,
Heu! sinimus menti, virusque ingignere amarum?
  At vos, delectos quos nunc Rex altus Olympi,
Degeneres extra curas, extraque frequentes
Esse acies hominum jubet, et convexa tueri
Summa poli, atque astris jam tandem attollere vultus;
Ne rursum aequoreis fragilem committite puppim
Fluctibus. Insanus jam vos deterreat eurus;
Terreat excelso veniens a cardine, raptu
Praecipiti, boreas; involvensque aethera ponto,
Nigraque ab adversa regione minantibus austris
Praelia, terrifico occurrens, siccoque volatu.
Dicam autem ipse meae quae nunc sententia menti
Insedit: vos fixa animis mea dicta tenete.
  Dum quae sidereo cecinit bonus ore Magister
Bissenis mandata viris, quaeque enthea mundo
Immenso monumenta dedit, sub pectore verso,

Pressius ipse agitans mecum, sese obvia nostris
Plurima dant oculis, quae coeptae accommoda vitae
Norma forent: sed longa animum, mumerosaque rerum
Exterret series. Pauca hinc excerpere ab îsdem
Mens dictis angusta jubet; quae rite, per alta
Devia, siderei nobis vestigia Regis,
Atque iter insuetum, qua vertitur orbita nulla,
Callis inaccessi, ceu lucida sidera monstrent.
His meme addico, leges mihi talia sunto.
Principio ergo, agedum, coelestis dogmata Regis
Observanda quidem, et sincero corde tenenda
Accipio: his vitam instituo; atque horum auspice ductu,
Protinus ire viam, et longos perferre labores,
Insueto in more, insuetoque in tegmine cultus
Haud dubitem. Faxo posthac mihi nulla supersit
Libertas animi, votique licentia nulla.
Nimirum stat sponte sequi, quocumque vocarint,
Me jussa alterius: stat quaelibet ore volenti
Fraena pati, fastumque animi calcare superbi.
At frustra hic aciem struimus, frustraque ciemus
Hunc hostem: nec laeta quidem victoria nobis
Speranda est, nî victus opum cadat ardor, et auri
Pulsa fames: aliis non hic ruit ictibus hostis.
Quocirca victus posthac, cultusque parandi
Longe omnis mihi cura animo: sed longius auri
Impacatus amor. Sat erunt e fontibus haustus
Perspicuis laticum; properatisque ignibus offa
Frugis tosta famem poterit compescere foedam;
Vel magis umbriferis collecta sub ilicibus glans:
Quali, seu latitans specubus, seu fusa per agros,
Necdum luxuria mollis, nec marcida somno,
Primaevis victu nova gens contenta sub annis,
Felices duxit soles, noctesque quietas.
Tum mihi si geminae, dextrâ laevâque, sorores
(Haec domitâ incedens humilis cervice, subactos
Ponderibus detrita humeros, atque inscia mentis

Elatae, pariterque animum dejecta; modesto
Illa gravis vultu, pallamque exscissa fluentem;
Atque assueta malo, et parvo contenta paratu)
Adstiterint, mediam extemplo sese aurea junget
Rite pudicitia; et geminis interseret ultro
Casta comes, fidasque agnoscet diva sorores;
Moxque et acidalios compescet saga tumultus.

Tu vero; astrigeros aditus mortalibus aegris
Pandere cui datur, et rursum praecludere eosdem,
Cum libet, et pietas, et fas, pater optime, poscunt;
Cuique orbem immensum paribus compescere habenis,
Et licet indomitas mentes premere, atque rebelles
Exterrere minis; missoque e collibus irae
Fulmine septenis, ultricibus urere flammis;
Magnos pande sinus, chlamidisque capacibus umbris
Me conde amplificae: tua nunc juga pronus adoro;
Et jussis do colla volens; subigoque per annos
Perpetuos olim sobolem (quaecunque erit illa)
Venturam: imperio tu nos, monitisque fatiga.
Quandoquidem ipse tibi, et fraternis coetibus ultro
Meque, meosque hodie, voti reus (excipe) subdo.

Praeterea, numero ex omni, dux ordine semper
Unus erit post me lectus, cui pareat omne
Concilium, observentque meae cuncta agmina gentis.

At quicumque animo, quicumque et viribus audax
His votis haerere volet, desuetaque fidit
Se posse angustae perferre incommoda vitae,
Nec timet Eumenidum incursus, nec tela; sed ultro
Monstrosas acies Erebi in certamina poscit:
Adsit ovans; canoque patri se sistat egenûm,
Cui jus militiae; cui tantum prima potestas
Credita centuriae; datur et regere indiga castra;
Arbitrioque eadem validis implere colonis.
Ipse autem primo (quippe imprudentia cordi
Turpe ducis) mentem tyronis, et alta necesse est
Consilia addiscat, tacitaeque indaginis astu

Exploret quid verba sonent, quid pectora clausum
Muta gerant: nunc hac dictis, nunc differat illac:
Excutiat quae causa trahat, quaeve incitet aura
Tam duros, tamque extremos tentare labores.
Praecipue vero petat, ac solertior instet
Quaesitor, num viperei mens labe veneni
Liveat, aut turpis rubigine criminis atra
Squalleat; et dira in superos sub corde profano
Murmuret impietas, et sanctis ritibus obstet.
Praeterea ipse adeo pater illud providus unum
Scrutetur, num forte tori consortia blandi
Praepediant juvenem tacitum, vinclisque retentent.
At vero ambages longas, diversaque passus
Tentamenta sui, si nullam innectere fraudem,
Flagitiisque animum nullis foedare videtur;
Et jam cuncta probat, votisque tenacius haeret;
Si facilem sese praestet, si fortibus ausis,
Objectet bellis caput ultro, acrique labori:
Confestim monitis (quae divûm ad sidera pandens
Rex aditum, et populis spondens communia coeli
Hospitia edixit) sacro ductoris ab ore
Auditis, quaecumque domi sibi candida servat
Libertas, lactus turbis donabit egenis.
Dux vero (hoc adeo prohibens edico) peculî
Vel tactu abstineat, dedigneturque profanum
Aversus lucrum, atque objectum sponte, recuset.
Imo age, divitias quibus, aut quo more profundat
Ille suas, nec consultus, multumque rogatus
Consulat, aut dictis moneat pater ipse rogantem.
At si quem norit, recti, pietatis, et aequi
Servatorem acrem, sperantemque abdita divûm
Consilia, atque iras; huic sistere providus illum
Dux queat: hoc ignarus opum tentare magistro
Jacturam addiscat juvenis, damnumque lucrosum.
Exin rejecto, quocumque tegatur, amictu,
Quamprimum ante patrem nudo se corpore sistat;

Qui geminas tantum, truncatas scilicet ambas
Casside, et a tergo capitis tutamina nulla
Pendula gestantes, tunicas circumdabit illi,
Subnectetque femur campestribus, ilia reste:
Penula trunca dehinc pectus, dorsumque repandum
Obnubat, tantum postrema parte rudentes
Nodosos lambens. Id primum insigne per annum
Esto illi: data prima novis ea forma colonis.
Ast ubi signiferi Titan percurrerit orbis
Igneus astra semel, nec jam mala taedia coeptae
Vitae animum tyronis habent; pater optimus illum,
Conventu in medio stantem, sic ore monebit.
Annus habet finem: vita hinc nova, te vetus illinc
Pelliciunt: agedum mavis utram, elige: sed te
Hanc semel arreptam semper servare necesse est.
Da pelago, si vis, puppim; da vela regressus
Nescia: Romulidae patris intemerata potestas
Hoc mandat: quippe agrestes, ubi terga labori
Dant segnes, frustra expectent jam frugis acervos.
Ille autem, si, dicta probans patris, annuat ultro,
Seque volens subdat, tyronum insignia prima
Rejecta ex humeris ponat; tunicâque retentâ,
Unâ jam tantum (vel si cupit, altera detur;
Id neque enim prohibere volo) sese induat hortor;
Cui circum cassis supremam assuta per oram
Haereat, hybernos capitis tutamen ad imbres.
Pes vero, si quâ res dura exposcat, alutae
Munia (saepe gelu id, longumque iter atque malignum,
Saepe valetudo, seniumque expectat) habeto.
Praeterea mollis praetiosa licentia vestis
Sit procul, edico: sat erunt horrentia setis
Tegmina, et hirsutis texta instaurata tapetis.
Postremo (id certis monitis onerabo) caveto
Conspicuos gemmis, tunicisque micantibus ostro,
Et lento illusis auro, luxuque profusos,
Despiciat, probrisve notet: verum aspera secum

Judicia exercens , sua facta redarguat ultro .
  Jam vero exutus terrenis pectora curis
Magnanimus tyro (quo coelo assuescat habendo
Paulatim , tractimque deûm consortia discat)
Primum , si divis coelesti more sacerdos
Ductus eat , si perpetui custodia libi
Olli sorte cadat , quamprimum gnavus honores ,
Quos superis cantat totus sacer ordine coetus
Cum patre Ausonio , addiscat ; pariterque canoris
Vocibus ipse ferat : supplex tum frugis opimae
Muneribus cumulans aras, stata sacra frequentet .
Hinc , divûm qui sancta ferunt oracula , libros
Haud adeo magnos (passim breviaria dicunt)
Versandos sacris olli damus usibus ultro .
  At rudis , et cujus sanguis non vividus artes
Palladias refugit , vi dispar , dispare cantu
Dicat inexhaustos divûm , ac breviore triumphos .
Ergo age , purpureum magno dum gurgite tollit
Sol caput , et rutila perfundit lampade terras,
Sistat se templo , et confestim talibus oret .
  Noster ades Pater astra tenens: sic perflet ubique
Nominis aura tui , regnique immensa potestas
Calcet inaccessos populos , gentesque rebelles :
Velle tuum sic terra velit , ceu sidera servant .
Tu vero assiduam vitalis suffice nobis
Frugis opem; pariterque reis (quando hostibus et nos
Sponte damus nostris) veniam concede rogatus:
Tentamenta atrox quaecumque innectit Erinnys
Da terere, incursus da tandem exire malorum.
  Terque quaterque orans, haec primo cantet Eoo ;
Tum, quae deinde subit, vacet hora: at tertia rursus
Orantem reddat ; eademque piamina cogat
Solvere voce pari, numeroque simillima primis .
Mox sileat, facturus idem, cum flammea cursus
Orbita Phoebei sextam produxerit horam.
Intermissa quies tunc rursum irrepat , et oci

Sit mora, quanta ambas subeuntes hauriat horas :
Queis dehinc elapsis, indictum nona tributum
Hora sibi exposcat, resonetque precatibus isdem .
At cum fraternis requiem meditatus in undis
Nocturnam, occiduo praefulserit Hesperus ore,
Tunc rursum aethereum Patrem exorabit eâdem
Voce ; eademque canet, vicibus sermone relato
Imparibus tantum, bissena piamina, magno
Quando haec ferre Deo monet hora: sed ultima com-
Meta diem, repetat primus quae cantat Eous. (plens
At postquam latas nigro velarit amictu
Humida nox terras, dent arcta cubilia membris
Defessis requiem, donec flammantia pronis
Curribus astra manu facili data lora relaxent.
Tunc rudis, excussa ex oculis jam nocte, cubili
Stramineo exsurgens tyro, tecta impiger aedis
Sacra petat, solitâque deûm prece concitet aures.
Sunto eadem ; at numero divina piamina crescant:
Quandoquidem hoc terdena jubet dare tempus: at u-
Nempe supervacuum subducit mysticus ordo. (num
Postremo aetherei defunctas luminis aurâ,
Cura levare animas poenis immanibus esto,
Coelestemque illis tandem exorare quietem.
Sic quicumque olim captus stipe, nostra subibit
Castra, Deum colat assidue, atque his ritibus oret.
Jam vero exiguis quam sit comes aspera rebus
Prodiga luxuries; modicas quantum arctus honestet
Victus opes, quantum tenues simul excolat aedes ;
Dissimulare nefas : hinc omnis (si qua erit illa)
Progenies nostrae stirpis ventura sub auras,
Procuret castris pestem illam avertere egenis.
At (quamquam tenues semper, modicasque parari
Ipse edico epulas) longe tamen arctior ire,
Quae trudit noni mensis lux prima calendas,
Incipiat, seraeque neget commercia caenae ;
Objiciens indicta sacro jejunia ritu,

Nequicquam solvenda, dies natalis ab astris
Ni prius aetherei Regis praefulgeat orbi.
Imo et, quae Reges, Nabathaeis munera ab oris
Mystica portantes Regique, Hominique, Deoque,
Aethiopas duxit, nostrum lux rite laborem
Exposcit; sacrisque monet jejunia rursum
Moliri auspiciis, et coenae parcere suadet:
Donec Atlanteos fluctus de more revisens,
Clauserit occiduus vesper quater ordine denos
Pone sequuturos, astri stata tempora, soles.
Quippe hos Rex divûm, proles aequaeva Parenti,
Solivago dum lustra colit noctesque diesque
Impete, frugis inops, lenaeique inscius haustus,
Emensus totos, magno sacravit honore.
Atqui non jussi, sed sponte, meoque rogati
Vos monitu, sacra haec explete; sed altera porro,
Quorum meta Deum revocatum ad luminis oras
Cantat ovans, sunto jussis indicta severis.
Postremo (labor hic pariter sincerus abibit)
Quaeque toris parcum solvet lux sexta tributum.
Ast ubi lassa cadunt, jejuniaque arcta recusant
Membra, cadant pariter mea jussa, atque irrita sunto.
Jamque agite, o socii (neque enim non saepe per or-
Ibimus extorres, ignotaque regna teremus) (bem
Consilia accipite haec, animisque recondite in imis.
Ingressis iter, aut intra hospita tecta receptis
Pax comes haud desit vobis; pacataque verba
Ore sonent: lites atrae, ac mala jurgia longe
Pulsa gemant; morumque adsit, vultusque modesta
Temperies: animi discant mansuescere sensus.
Praeterea (ni sors rerum insuperabilis instet)
Execramur equos, vectorum inhibemus et usum.
Este autem hospitii memores, simul este recepti
Servitii; ingressique domum (quaecumque erit illa)
Vestibulo pacem, veniamque exposcite primum,
Haec stet apud memores vos saltem ut gratia facti:

Hospitis inde toros seu cura pararit opimos,
Seu modicos, tetrici non aversaminor illos.
Imo agite (aetherei dant haec monumenta Magistri)
Quaecumque extruitur, laeti discumbite mensae.
O felix stirps prisca hominum, ac bis terque beata,
Quam nondum gemmis, auroque accenderat aetas
Perdita luxurie; cum nondum fruge repertâ
Staret mensa gravis, dulcique imbuta Lyaeo:
Chaonio sed enim tantum gens aurea victu
Contenta, et rivis per levia saxa volutis,
Felicem in terris vitam silvestris agebat.
Ecquid sperandum est nobis, modo posse reverti
Forte iterum nostra haec priscos in tempora mores?
Ecquid desuetos reditus, conamine duro,
Si qua iter inveniant, nobis tentare negatum est?
Nempe homini audendum est: etenim quid fortibus ausis
Non cedit? quid non domat imperterrita virtus?
Ergo agite, o socii (quamquam vestigia nulla
Obvia praefulgent oculis) vos aspera primos
Ne pigeat terere haec, nudisque lacessere plantis
Dumeta, obnitique altas virtutis ad aedes.
Esto autem nostrae comes indefessa cohortis
Aurea paupertas: laeta haec insignia tollat
Militiae: hec praemonstret iter dux praevia genti.
Haec etiam stabulis (manet irrevocabile votum
Hoc haerens animo, et multa vi pectore sidit)
Avertat nostris pecuaria cuncta, necesse est:
Ipsa aurum castris longe propulset egenis,
Longe auri infandos usus. Imo hoc modo certum
Accipite, atque unquam sint irrita jussa, cavete.
Aere merere meo qui destinat, exuat aera,
Aeris et horrescat tactum: ac de gente petitum
Externa, qui servet opes, aut quaeritet aurum
Tyronis nutu, jam tum succedere quemquam
Usqueadeo abnuimus, firmaque id lege vetamus.
Ne vero, quibus incumbit custodia coetus,

Dissimulent, sedeantque ignavi, inserpere labes
Si qua per infectas acies, perque agmina gentis
Incipiat: sed mox ultro pater optimus adsit,
Exploretque sagax, quid cuique sit utile; quove
Quisque egeat; fessus quam curam expostulet aeger.
Tum si Phoebeae languor jam tabidus artis
Poscat opem, ille pios quae primum exquirat amicos,
Cultoresque adeat recti; quorum excitet usum
Mox sibi in auxilium, supplex roget, ambiat, oret.
Quales, Massylos rabies impasta leones
Dum saevis agitat stimulis, armenta magistros
Expectant; tales castris aptamus egenis
Excubias, nostrae his tutamur et agmina gentis.
Praeterea (neque enim una omnes clementia coeli
Exercet terras: quippe haec aquilonibus horret
Arctois regio, et nivibus, gelidisque pruinis
Assidue canet; madet haec glomerantibus austris
Horrendos imbres; scindit canis aestifer illam:
Adde quod, alternis vicibus, modo flammea Cancri
Brachia, Chironis modo frigida tela, reducto
Sole per obliquum, pugnantia tempora portant)
Sint ex primorum numero qui nosse laborent,
Quae plaga, quo rigeat borea, quo sole tepescat;
Duratus quo quisque gelu; coeloque, laborique
Assuetus; quid ferre queant, viresque recusent.
His animadversis, certos quaerántur in usus
Tegmina cuique sua, in morem: execrabilis auri
Auxilium modo longe (id terque quaterque negamus)
Absistat, certi nec sors juvet ulla peculî.
Jamque adeo vitae dura atque insueta facultas
Ne vobis animos quasset; ne vos dare terga
Turpi versa fugâ cogat: primum haec mea dicta
Accipite; atque animis rerum dabit ordo quietem.
Quis nescit, prima sortîtum a stirpe laborem
Acrem hominum mortale genus? quis nescit ab alvo
Materna egressos, et jam vitalibus auris

Vix haustis, gemitus, et lamentabilis ore
Mox querulo ordiri nos turbida munia vitae?
An pueros non deinde gravis dolor excitat? an non
Exercet labor? an non jurgia saeva furentes,
Verberaque intentant patres? Subit inde juventus,
Durior ipsa quidem; sed non et protinus expers
Aerumnae: mox acer adest durata reposcens
Membra labor, cogitque malis assuescere curis.
Quid referam canae procurva incommoda vitae?
Quae requies animis? quae gaudia mentibus? An tunc
Laeta micat, cum membra labant, cum febre calescunt?
Cum simul omne genus morborum, et tota malorum
Una acies, artus circumsiliere jacentes?
  Ergo hanc ingenitam sortem mortalibus aegris
Et nos sponte sequi fas, et servare necesse est.
Hinc non indecorem si quem compellet ad artem
Vi natura acri, liceat tentare vocantis
Blanda voluptatis studia, et parere Minervae.
Quin, ut desidiam, mentisque, animique cruentam
Perniciem extrudat, nostrisque avertat ab oris,
Multa instare operi moneo, ac perferre labores.
At morem servare pium, fidumque jubemus,
Ne Superûm cultus, et sacris debita curis
Ocia, sollicitus labor enecet arte profana;
Quippe orta, aeternis rebus servire necesse est.
  At merces operum (procul aes, procul aeris et usus)
Quicquid alit duros homines, et corpora curat,
Rite dabit: ne vero illam violenta reposcat
Lis moneo, aut fastus (tumido nihil indiga fastu
Castra ferunt gravius); sed enim, de more, receptis
(Quantula sint) lucris, cedat saturata cupido.
  Verum, agedum (positos quando exhorrere labores
Nec vos posse reor, nec velle absistere coeptis)
Jam tum animis fretus vestris, ac fortibus ausis,
Mecum una majora agito, gravioraque tento
Adjicere objectis: vos mente tenebitis, edam.

Gens hominum (antiquae piget, ah! meminisse ruinae)
Sidereo dejecta polo, spelaea ferarum,
Exul habet terras, alienasque incolit aedes.
Et nunc secum animo regna alta ingentis Olympi,
Fulgentesque domos, atque aurea tecta revolvens,
Ociaque, et laetos roseo cum lumine soles;
Aestuat infelix angusto limite terrae
Clausa; gemensque acres casus, longique labores
Exilii, infidas avertitur hospitis oras:
Donec ad erepti remeare cubilia coeli,
Et tandem patriis detur considere regnis.

Quare agite, o socii (quoniam nec certa domorum
Hospitibus data jura vagis; non praedia; non fas
Liminis, aut fixae cedit fiducia sedis)
Quae vis incubuit menti, quique ardor inhaesit,
Dicam equidem, nec vos diversa ambage tenebo
Suspensos: animis terror procul omnis abesto.

Ne mihi, ne vobis, ne proli (posthuma quondam
Si qua mihi aethereae lucis ventura sub auras)
Hospitium, fundumve, agrumve, laremve, locumve,
Remve aliam quantumvis aspernabilis usus,
Jus detur premere, et certa ditione potiri.
Parcite vos haec vota malis incessere dictis;
Parcite; eant illis contraria vota, cavete:
Quin vos demissi, atque ultro rerum omnium egeni,
Discite coelicolis sincerae laudis honores
Deferre: ac profugi velut, accinctique subortâ
Luce viatores, stabulis de more relictis
Incertis, reddunt mox sese rite labori;
Sic vos certa domus horrescere tecta necesse est.
Nec pudor (atra fames vobis modo suadeat) obstet,
Quin mendica manus (quando et Rex altus Olympi
Ultro ignominias inopum tulit) ostia pulsans,
Quaerat frugis opem, et properatam postulet offam.
Felices nimium, mos hic quoscumque aget olim!
Felices! Nempe aethereas attollet ad arces

Exutos opibus, sed nil jam laudis egentes
Perpetuae. Egregiis, agite, ah! ne absistite coeptis.
Currite iter certum, totasque intendite vires,
Coelestique haerete Duci: tum caetera sunto
Longe animis. O sed tu, tanti muneris auctor,
Aurea paupertas, nobis vestigia sacra
Tu sola ostendis: tu conjunctissima Regis
Siderei custos primis vagitibus adstas:
Prima foves ortum: teneris prima, ubera labris
Insertas: Pelusiacas tu fida per oras
Extorrem sequeris: reducem tu reddis avitis
Sedibus: esurientem animam tu nectaris haustu
Divite laeta reples, trino dum confodit anguem
Tartareum oraclo: summo tu denique malo,
Pulvereo affixum liventia brachia tabo
Suspicis, atque avidis nudatum amplecteris ulnis.
Salve, magna parens, coeli quae sola colonis
Atria terrigenis gemmata recludis, et altâ
Sede locas, opibusque auges, regnisque superbis:
Salve, nosque tuos ne dedignare clientes.
En laeti (nos laeta fove) tua castra subimus;
Abnuimusque bonis posthac servire caducis.
Tu vero, o mater, nos tandem intersere divûm
Conciliis, daque aethereis accumbere mensis.
Interea divae (quis enim satis efferat illam?)
Laudibus absistamus: et ordine coepta sequentes,
Aurea perpetuo dicamus carmine jussa.
Ergo agedum, seu nos pariter stabulemur in isdem
Hospitiis, sive extorres, atque inter eundum
Jungere in occursu dextras, vestigiaque ultro
Obvia ferre simul detur; placida ora vicissim
Ostendamus: at inde gravis res si qua maligno
Alterutrum casu premat, atque incommoda dura
Intentet, charo comes impiger adsit amico,
Et levet, auxilioque juvet, tollatque jacentem.
Praecipue, ingrueret corruptis tabida membris

Si qua lues, tristisque dolor deprenderet aegra
Corpora, mox alius (quicumque erit utilis arte
Paeonia, herbarumque haudquicquam ignobilis usu)
Haereat officio indulgens, ac sedulus aegro
Servitum accedat, jussusque fideliter adstet.
Tum vero impendi sibi quale exposceret aegro
Auxilium, aut certe quantum pia mater alendis
Dulcibus, advigilans cunis noctesque diesque,
Absumit natis, socio praestabit anhelo.
Ecce autem (o hominum non eluctabile fatum!)
Invidià exardens, quas non molitur Erinnys
Insidias? quas non fraudes innectit, Olympo
Aethereo quo nos fallax avertat, et altis
Sedibus abductos, Erebi devolvat in imum?
Heu! modo quid refert magno quod semina coelo
Ducimus, et sperare animis solia alta jubemur
Aetheris; informes si nos Phlegetontis ad undas,
Tisiphone infandas agit atra sine ordine praedas?
At Sator ille deûm fatis ea jura superbis
Abstulit, auxilioque ultro bonus affuit aegris.
Vidit enim insidiis, et caeca fraude colubri
Tartarei, humanum genus olim e sede beata
Dejectum, et nemoris felici limine pulsum
Auricomi, colere (ah scelus!) horrida lustra ferarum,
Nimirum ingratasque domos, sedesque pudendas.
Vidit, et indoluit miserans simul illud, et omnem
Progeniem ex illo venturam expendere poenas
Pro meritis jussam, et duros perferre labores
Exilii: quippe ex illo stirps visa subinde
Tota hominum ruere in pejus; cunctaeque malorum
Ingruere infectis animis, denso agmine, pestes,
Foedantes mentem, et divini luminis haustum:
Hinc labe informes sacro pia numina coeli
Hospitio prohibere animas, et prodere longe.
Ergo adeo exardens, magnoque accensus amore
Omnipotens Pater, aethereas monstravit ad arces

Esse viam reditus, voluitque patescere callem.
Hunc moeror, qui dira animo vestigia culpae
Eluat admissae, primum consternere suevit:
Vota dehinc, Patrem divûm quae voce, manuque
Suppliciter veniam, pacemque irata reposcant
Numina: postremo, quae dirae immunia culpae
Tempora agat vitae (quaecumque erit inde superstes)
Mens sancta, et patrio quae rite assuescat Olympo.
Hic reditus, coeloque viâ hac sese ardua tollit
Gens hominum, et magnis divûm mox coetibus infert.
  Et nunc ergo, agedum, pellaeis Erinnyos astu,
Si cuiquam, e nostra quondam fors gente, piaclum
Turpe animum inficiat, mentique insederit altae
Decolor ad vivum labes; dolor acer, amaro
Continuo exardens gemitu (quando hic labor unus,
Una via haec, poena una animis haec sontibus aufert
Funditus omne malum, labem, ac scelus eluit omne)
Proh! subigat mentem, stimulisque exerceat atris.
Tum, quicumque is erit (longe mora segnis abesto)
Grandaevo sese patri, coetusque magistro
Sistat, agatque reum; commissaque crimina pandens,
Se multa incuset, veniamque expostulet orans.
  At senior (divûm Patri modo rite sacerdos
Ductus eat) tristis casum miseratus alumni,
Indicatque leves poenas, monitisque jacentem
Attollat, solidâque infractum sede reponat.
Sin magis indoctâ veniat de plebe petitus,
Ipse quidem abstineat poenis; sed deligat unum
Insignem probitate virum, plebs ordine ductum
Quem nostra e sacro dabit: hic mox criminis instans
Quaesitor, vitamque rei, mentemque profundam
Audiat, et sontem meritas det pendere poenas.
At tu, quisquis eris custos, populique magister,
Asperet, inque reum te concitet ira, caveto.
Quippe animis atque ira lues non acrior ulla.
Haec ubi tartareos ignes accenderit amens,

Impuleritque manu laxis juga fervida loris
Praecipiti, ignavâ circum mox nube refusa
Turbatae lux mentis hebet: livescit, et atro
Felle ardet mox castus amor, furiisque citatus
Degenerat: jamque insano sub pectore nullum
Constat consilium: socialis vincla cubilis
Franguntur: labat unanimis concordia fratrum.
Jam vero qui gentis honor; quae cura regendae
Posthac exsurgat nobis; quaeque instet habendi
Forma ducis; qualis moderaminis usus, et ordo,
Expediam: dicta haec animis mea figite vestris.
Principio nostri (neque enim infelicius ullum
Exitium populis, quam sceptri bina potestas)
Assertor coetus, praeses, duxque unicus esto;
Quem penes omne olim fas, imperiique futurum
Nascentis regimen, totiusque ordine gentis.
Hunc procerum e numero delectum, ac rite petitum
Votorum auspiciis, summum plebs tota ministrum
Dicat; eumque animis ultro veneretur, ametque:
Imo (equidem hoc bis terque volens edico) verendo
Vos parete duci: data jussa facessite laeti.
Contra, animo sese tumido ferat ille, caveto;
Sed mage, quid moneant servilia nomina, discat.
Ast ubi fixa dies, plena trieteride, functum
Rite ministerio ductorem excedere coget;
Inque vicem exposcent alium stata jura, cohortes
Qui rursum cunctas regat, et tota agmina gentis
Praeceptis, legumque sacro munimine firmet;
Continuo exsurgant proceres, coëantque vocati
Una omnes certam ad sedem, quamcumque ministri
Deligat emeriti jam jam cessura potestas.
At non quale dabit cumque haec comitia tempus;
Sed modo certa dies, certosque voluta per orbes
Sacra feret, cogetque patrum de more senatum:
Scilicet aethereo quae cantat ab axe ruentem,
Igne sonante, Deum, cumulatque altaria donis

Annua, solemnes recolens ex ordine pompas.
Hec lux ductorem dabit: atque ubi fervida Cancri
Brachia ter fugiens, retro data lora quadrigis
Torserit auricomus Titan, eadem eximet illum.
  Interea si forte animam fato egerit, aut jam
Longa valetudo, rerumve inscitia damnet,
Degeneremque ostendat eum, plebisque levandae
Servitiis adeo segnem; tum provida patrum
Turba illum e solio jubeat decedere; moxque
Rite gubernaclo custos datus haereat alter.
  Praeterea, quamquam unius debere ministri
Tantum jussa sequi legionem edicimus omnem,
Hanc tamen in multas diduci posse cohortes
Annuimus: nec non ductorem adjungimus ultro
Cuique suum, haud dubiis qui dehinc premat agmen ha-
Et certam ad sedem (si fert ita corde voluntas) (benis;
Cogere centuriam queat, ac numerare quotannis.
Ac veluti excelsae rupis de vertice pastor
(Praecipiti e scopulo sive ore fugacia tento
Dum virgulta inhiant, seu dum alti littoris orae
Se nimium credunt) manibus, virgaque minaci
Rejicit exclamans haedos, hirtasque capellas;
Sic ductor celerem nunc huc, nunc providus illuc
Verset, agatque animum, atque oculos ferat omnia cir-
  Praecipue vero, moneo ne linquat inultas, (cum.
Dissimulans, animas, coelo quas effera Erinnys
Avertit: mox egregios sed deligat omni
E numero gentis, quos tum bonus arbiter ipse
Et probet, et virtus non dedignetur amicos.
Hos oratores dicat, monitusque salubres
Deferre ad populos jubeat: parere jubenti
Olli festinent laeti: magnasque per urbes
Ingressi, perque exiguos absque ordine pagos
(Seu tumulis captis, humiles, atque aggere; seu jam
Excelsi, in morem positis suggestibus) ore
Divina aetherei resonent monumenta Magistri.

At praesul si forte suis e finibus illos
Ire velit, sanctisque inhibens absistere coeptis
Imperet, haud contra fas sit contendere; sed mox
Cedant, edico, victi, penitusque facessant.
Tandem oratores hic multa monemus eosdem,
Ludicra ne populis, aut insincera loquuti,
Ritibus objiciant male consona dicta severis.
Quin brevibus (brevia aethereus, cum inviseret imas
Rex terras, monumenta dedit mortalibus aegris)
Eloquiis fingant animos; virtutis et aedes
Praemonstrent; volitetque aedes quae gloria circum,
Edoceant; probris queis sordeat atra voluptas;
Queis de more suos poenis agat ipsa clientes.
Haec populis mandata ferant, his pectora firment.
  Nunc age, per duros casus, perque aspera vitae,
O comitum spectanda manus, discrimina, quali
Invisat, moneatque suos dux ordine coetus,
Expediam paucis, antiqua exorsa reposcens.
  Prima hominum gens, orta recens (haud rumor inanis)
Primum felicis stabulasse sub arboris umbra
Fertur, et auricomum nemus incoluisse, recentis
Delicias terrae. Mox vero ut foedera rupit,
Et pactum aetherei sanctum Patris abscidit audax,
Heu! luco dejecta sacro, longaeva beatae
Amisit vitae dona, ac vitalia tempe
Infelix linquens, aliena requirere jussa est
Hospitia; immanis scelus exitiabile facti
Exilio ut lueret, poenasque expenderet aequas,
Per genus omne mali. At nos porro inde hausimus omnes
Labem animis; quam mox concretam ab origine prima,
Ingenitamque alte ferimus; quaeque inficit aurae
Simplicis aethereos sensus, hebetatque vigorem.
Hinc incestus amor, nos hinc vesana cupido
Exagitant, polluntque, trahunt, foedantque profanis
Criminibus; pestes urant quas saeva necesse est
Supplicia, et puros sensus, animosque relinquant.

Quocirca proceres, quoscumque ea cura manebit,
Invisant gentis saepe agmina, credita signis
Quisque suis: tum multa rogent: contra, orsa rogatos
Reddentes, audire juvet: quin arte, dolosa
Cogant consilia, et subigant secreta fateri
Pectoris arcani: quaesitoresque sagaces,
Indagent vitas, admissaque crimina discant,
Castigent, monituque acri torpentibus instent.
Si vero infecti mores, si decolor atrum
Forte aliquem reddat labes, et crimina sontem
Dira animum culpent (longe inclementia, longe
Irarum indomiti fremitus, et verbera sunto)
Rite luat peccata, ac per leve prorsus agatur
Supplicium; donec mens labe renideat atrâ
Abluta, aethereoque effulgeat igne relato.
 Praeterea nostris jussa adversantia dictis
Ulla, suis, scelerumve irritamenta malorum
Coetibus objiciant proceres, hic multa cavento.
At contra, jam tum pubes addicta severis
Parendi studiis (iterum hoc iterumque jubemus)
Omnino observans animi inviolabile votum,
Jussa patrum (quaecumque dabunt, modo dissona no-
Nequicquam edictis, animaeve infensa saluti) (stris
Excipiat festina, volens, et laeta facessat.
 Interea, si quis nostra de gente futurus,
Tecta colat male fida animae, suspectaque castis
Moribus, et quae obstent adeo ne pressius ille
Hos monitus servet, neve haec mandata capessat;
Quin et pernicies illic, et multa suburgens
Causa mali, assidue cogat peccare colonos:
Continuo ductorem adeat, veniamque precetur;
Transferrique loco, moxque ad meliora reduci
Postulet hospitia, et tuta statione reponi.
Dux vero haud tristem dictis incessat alumnum
Acribus, at placido facilique arrideat ultro
Poscenti vultu, mentemque, animumque remulcens,

Servitium obtendat, tetrica ditione remissa:
Quippe hac delectus veniat dux sorte, jubemus
Servitum accedat, non regni ut sceptra capessat.
  Praeterea vacuas defendite mentibus auras,
Praemoneo, o socii; tumidos defendite fastus;
Invidiae atra lues, et inexsaturabilis auri
Esto animis ardor longe; neu pectora curis
Fortuitis onerate: unum hoc, praeque omnibus unum
Commemoro, ne vipereis incessite dictis
Vos quemquam; obductum in vulgus ne spargite cri-
  At cujus vis mentis hebet, neve ipse per artes (men.
Cecropias bonus ire queat (praecordia circum
Obstat sanguis iners, et non bene vivida virtus)
Hic superis non thura dabit, non instruet aras
Frugibus aethereis, sacro non rore lyaci
Imbuet: at divûm tantum raptatus amore,
Seque, suosque volens sensus, animamque litabit
Viventem: vivens coeli placet hostia Regi.
  At ne etiam laesus quis vestrum exardeat irâ,
Nec sese ultorem contra ferat: at magis ultro
Atque minas, atque atra pati convicia discat.
Nec minus et morbos, morborum et taedia duro
Aegra animo exsuperet. Sed adhuc majora supersunt,
Quae moneam: placidas mentes adhibete monenti.
  Rex superûm quondam, mortali voce Parentis
Aetherei mandata canens, defendere nostris
Usqueadeo nos ex animis odia aspera jussit,
Ut ne etiam infensos hostes odisse liceret:
Quin ultro potius veniam dare, numinaque illis
Exorare deûm, pacemque exposcere mandat;
Hisque olim spondet coelestia praemia factis.
  Quare agite, o socii, quicumque optatis in armis
Effulgere inopum, nec jam exhorrescitis ista
Quae vobis mandata cano, rogo, parcite diris,
Parcite decertare odiis, et laedere laesi:
Discite et indomitos animi lenire furores

Effraeni, irarumque atros compescere fluctus:
Postremo arreptis ne quaeso absistite coeptis;
Ne date terga fuga: sed iter superate malignum.
Palma vocat fessos: sed tantum extrema labores
Ornat victorum, et meritos dat finis honores.
Ecce autem, dum multa cano, vitaeque futurae
Condo pios ritus; dum vallo, atque aggere nostram
Cingo urbem, et fossas circum longo ordine duco;
Improvisae adstant acies Amathunta colentes.
Hae nostrae blando circumstant agmine muros
Urbis, et assultus variant, molimine caeco,
Nunc hos nunc illos, caedes, obitusque ferentes.
Hic, socii, audendum est animis: hic omne necesse est
Praesidium struere, et totis decernere contra
Viribus: acre instat bellum, simul acer et hostis.
Quocirca hoc primum mando, ne foemina vobis
Jungat amicitiâ sese ulla licentius aequo.
Incautis tum vero animis commercia caecos
Quae subdunt ignes veneris, suadentque nefandae,
Non secus ac stygios jubeo vitare colubros.
Rursus et aethereo sacrata ergastula Regi,
Virginibusque habitata piis horrescite: neve
(Id multa edico) accessu violate profano
Limina, ne violate; adituque absistite sacro.
Excipio sed enim, exhortes discriminis hujus,
Romulidae quoscunque patris suprema potestas
Servitio addicet lectos, de more, puellis.
Nunc vero (huc faciles animos advertite) divae
Tertia Acidaliae commenta exscindere tento.
Fons sacer est, quo gens hominum, vitalibus auris
Mox haustis, demersa caput, contagia culpae
Exuit antiquae, niveoque effulget amictu.
At qui sacra facit, lustratque salubribus undis,
Quisquis is est, natum (sic fert mos) dicere suevit
Lustratum: contra pater ipse vocatur ab illo.
At dum se nimium simul haec consortia miscent,

Saepe amor incestat mollis, turbatque fluenti
Coelestis latices, divinaque sacra profanat.
Hinc vos, ah! fugite hos ritus: incognita vobis
Haec sacra esse volo: haec irritamenta malorum,
Pervadant inopum fines, gentemque nefandà
Labe unquam inficiant nostram, probrisve, cavete.
  Extremum hunc tandem dictorum audite laborem:
Pauca loquemur adhuc, opera haud vulgata moventes.
  Effera gens, sacras jacet extra limitis oras
Romani, incerti cultus, dignataque turpes,
Semiferosque deos aris, et thuris honore.
Hanc superûm Genitor, caecis erroribus actam
Aethere despiciens summo, et miseratus inanes
Cultorum ritus, certaeque ignara virorum
Corda viae, invitat coelo, divûmque beatis
Conciliis: ultroque illi manifestat apertum
Auctorem sese rerum; cui maximus aether,
Cui paret tellus, cui pontus, et aurea coeli
Lumina, flammigeraeque acies famulantur ovantes.
Quin etiam pietate graves, linguâque potentes,
Saepe oratores Romana e gente petitos
Ire jubet: qui paciferos frondentis olivae
Praetendant ramos dextrâ; moresque feroces
Componant; leges simul, et pia numina monstrent.
  Ergo olim nostra si quem de gente futura
Hoc opus, haec moles, coelesti numine raptum
Exagitent, virtusque vocet, pius incitet ardor;
Annuimus laeti, pariterque hortamur, et ausis
Fortibus adjicimus vires: sed protinus ille,
Utque animus fert, ire queat, nos deinde negamus.
Exploret sed certa sui prius ipse magistri
Consilia, addiscatque animum; mittique precetur
Sese oratorem ad gentes sine lege superbas.
At dux magnanimi virtutem laude recentem
Militis attollat blanda, ac demulceat ultro:
Tum largus nimium veniae, facilisque, caveto.

Parcat optatis; sed multa interroget illum,
Multa animi evolvat, perscruteturque recessus:
Condiscat quae causa trahat, quive impetus oras
Incitet ignotas, externaque visere regna.
At si corde nefas penitus nullum occulat alto,
Nil premat indignum, nulla insincera voluptas
Provocet; indulgens votis pater illius ultro
Annuat, actutumque sacro pius indice lustret.
  Nunc tandem vos, o proceres, gentisque futuri
Ductores nostrae, tantum haec extrema fatigent:
Vos tantum servate, animisque ea condite in imis.
  Tempora purpureis redimitus sacra galeris
Coetus, Romuliden cingit laeto agmine patrem,
Observatque pii divina sedilia regis.
Vos agite, o proceres, pater optimus eligat, huius
E numero caetus, orate impensius unum,
Progeniem nostram, totiusque agmina gentis
Qui regat imperio; simul et tutetur eamdem,
Auxilioque juvet, si qua rerum indiga poscat.
Praecipue si forte animis inserperet olim
Ulla insinceris labes; et vocibus atris
Perstreperet rumor circum impia corda profanus;
Aut tumidas fastus mentes inflaret inanis,
Ingrueretque ardens amor execrabilis auri:
Tum bonus assertor, pietate insignis, et ore,
Consilioque, sacrâque potens Tritonide, sontes
Castiget monitis, cogatque expendere poenas
Pro meritis aequas; donec jussa enthea Regis
Aetherei, sese quibus addixere volentes,
Agnoscant, revocentque animo, assuescantque vereri;
Ausoniumque patrem discant audire monentem;
Et casti certa sub relligione manere.
  Tantis dux fortes prudens onerabat amicos,
Edicens inopis desueta exordia vitae.

FRANCISCI MAURI

HISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS

LIBER VII.

ARGUMENTUM

Concilium daemonum advocatur; et eorum describitur dux, cujus oratio excitat illos contra orsa Francisci = 1 = 49. Tunc se Tysiphone regi umbrarum offert ad extirpandam gentem sub Francisco coactam = 158. Interim quamplurimi sequi volunt agmen Francisci, quos tamen ille non recipit omnes; receptos vero monitis firmat = 220. Cogitat Franciscus ire ad Romanum Pontificem, ut novi ordinis Instituta auctoritate comprobet sua = 271. At Deus ab alto aligerum Juvenem demittit, qui visum Pontifici repraesentet, quo Franciscum benigne excipiat = 308. Hoc viso Pontifex perterretur: sed Aliger coelestis illud declarans, eum solatur = 432. Dein Pontifex Deum, et sanctum Aligerum orat: ardet studio visendi Franciscum, qui se coram eo sistit cum duodecim sociis, eumque alloquitur = 527. Post aliquot difficultates a Francisco enodatas, Innocentius III. P. M. confirmat, et sancit leges illius; et quaedam de novo coetu Minorum futura praenuntiat = 724. Regreditur Franciscus cum suis

ad montem Subasium: quo priusquam perveniat, moratus in ripa Clitumni, eos adhortatur, ut Deum enixe precentur, quo notum facere ipsis dignetur, quaenam sibi vita ducenda sit.

Volvitur interea pallentis ad hostia Ditis
Francisci vox, sacra canens; atque assonat atris
Sedibus. Extemplo magno confusa tumultu
Tartara nigra fremunt: luctu Cocytus amaro
Turbidus increscit: Phlegeton torrentibus undis
Aestuat, ad piceumque ardent flammantia limum
Flumina: triste gemens ululat Styx, expavet, horret.
Ergo omnis trepidat vis illaetabilis Orci:
Regia succutitur diri tremefacta tyranni;
Ad quam mox Erebi monstra infelicia tendunt
Concursu rapido; collectisque undique turbis,
Complent terrificis fumantia tecta figuris.
Ipse autem umbrarum dux, atque immanis Averni,
Noctiferae in medio residet ferus arbiter aulae,
Sulphureoque ardens solio constrictus inhaeret.
Centum illi assurgunt flammanti e vertice, linguis
Sibila luctisonis lambentes ora cerastae.
Centum colla obeunt; centum horrida pectora circum
Errantes, circumque dati fera terga lacertis,
Oscula ad immitis tollunt capita alta tyranni.
Ebibit ore atro linguis spumantibus ille
Vipeream saniem; flammasque e naribus efflans,
Terrificam lustrat fumanti lampade noctem.
Stat facibus succensa manus, solia ignea circum,
Eumenidum fremebunda cohors; regisque parata
Semiferi imperio, nutus observat heriles.
Ille homines poscit culpas, et crimina vitae
Explorat, quaesitor atrox, et prodere cogit;
Quanta quis aethereâ vescens feliciter aurâ,
Incumbensque opibus magnis, admiserit olim.
Tum vero addictos aeternis luctibus, atro
Igne tumens, Phlegeton rapit ultro, ut saeva per aestus
Supplicia expendant, meritasque ex ordine poenas.
Nec tantum ille hominum genus insectatur et urget;
Consortes regni sed enim implacabilis odit,

Intentatque minas, cunctisque irascitur umbris.
Ergo ubi concursus trepidi, magnique tumultus
Accepit causas; desuetaque bella sub orbe
Aethereo indicique sibi, mundoque nocenti
Perdidicit; subitum rumorem expavit, hiansque
Terrifico ore silet: donec sub corde recepto
Igne, ferox noto simul ira recanduit aestu.
Dentibus inde atrum frendens (chaos attremit una,
Ignipotensque Erebus stridenti, ac desuper urgens
Acclinat sese nutanti pondere tellus)
Ingemit; atque undas flammarum e pectore vasto
Evomit, involvens rutila caligine noctem.
Increpuit tandem, dirarumque effera poscens
Agmina, terribili sic pertonat oris hiatu.
Ecquid vera meas jam tum pervenit ad aures
Fama, apud aetherei laetas modo luminis oras
Gentem hominum exortam, revehat quae saecula mundo
Aurea polluto? simul et mortalibus aegris
Praesenti auxilio veniat, nostrisque futura
Exitio regnis? Deus hoc quis dedecus umbris
Tartareis, quae fata canunt? quaeve astra minantur?
At si ita, quid, miserae, imbelles quid inertia dextras
Tela gravant? quidve ore faces, quid lampadas atris
Ferre juvat manibus? Quae tanta potentia, quae vis
Extinxit furialem animam, elisitque colubros,
Vestrarum robur, decus, atque insigne comarum?
Ergo hic o tandem performidatus Averno
Jampridem ingenti (nec stare ex agmine vestro
Ulla audet contra) dux, alta insignia mundo
Sustulit aethereo? jamque ordine signa phalanges
Clara sequuturae coëunt? statque aere coruscans
Armorum seges? et strictis micat aurea pubes
Ensibus? heu! nostris exsultabunda ruinis,
Posse audax jactat sese has popularier oras?
I praeceps, i, gens ignava, atque ingrue vastis
Agminibus: procul his avertere sedibus ingens

Excidium contende ferox : age , pectore segnes
Pelle moras: foecunda odiis corda excute diris :
Aethereum stygio praetexe Hyperiona fumo :
Bella cie, strue saeva acies, superosque lacesse .
Ne vero huc aude moliri victa regressum .
Efferus haec rabido strepit ore: ita concitus, atrum
In scelus agmen agit: monstrum avolat ocyus omne.
Tisiphone una haeret; quae postquam in terga colubros
Ex ore obstantes manibus rejecit obuncis ,
Incipit . O noctis pater implacabilis, o rex
Umbrarum , domitorque Erebi, mundique nocentis
Regnator; nostri fiducia quo tibi cessit
Roboris? An ne tuis haec olim dextera signis,
Cum tu sidereum bello novus aethera quassas
Civili princeps, summasque attollere ad arces
Contendis sedem, longe abfuit? aut nihil ultra
Mille nocendi artes, didici quas saga sub annis
Primaevis, jam posse putas ? Ne concipe tantum ,
Ne modo finge nefas animo . Mihi tota sororum
Uni plebs, agedum, cedat; penitusque quiescant
Pestes tartareae, et monstra exitialia cessent ;
Nil haec, nil equidem, diras nil posco sorores .
Hi crines comites operum : his ulciscar opacos
Sola deos: hominum dextra hac genus omne profunda
Sub Styge mox videas, commixtumque aethera Averno ;
Quando insuetum, ingens, quod tu mireris, et ipsae
Inventum stupeant geminae, invideantque sorores ,
Ordior ipsa nefas. Audi placabilis : edam
Vafra dolos. Habet aetherei plaga lucida mundi
Mille acies hominum, primaevis cauta sub annis
Quos ego non lacte, aut cereris, dulcisque lyaei
Munere , sed stygiis fovique, aluique venenis;
Mox et Lernaei sensim lita sanguine monstri
Corpora, vipereo docui consuescere victu.
Nec curâ absistens unquam, noctesque diesque,
Mollibam dociles mentes, et caeca nefandis

Corda profanabam dictis, tacitisque venenis;
Donec me, scelus omne animis hausere, magistrâ,
Omne nefas, omnes artes didicere nocendi.
Horum equidem è numero (novi quibus ira, quibusve
Invidiae livor, quibus aut odia aspera cordi)
Delectos sontes, corda immanissima, prudens
Excipiam; quos arte mea simulare docebo
Relligionis opus: tacito sed pectore fraudes
Qui norint struere, et fraternum abjungere amorem.
Exin supplicibus votis, animisque dolosis,
Gentis ad invisum ductorem protinus aureae,
Centuriis sacris, cuneisque recentibus ultro
Adsciscì orantes, stimulis accedere cogam
Vipereis: quo deinde malis sacra agmina turbent
Moribus; incestentque pias, scindantque catervas.
Haec dira. Insuetum scelus, atque immane tyrannus
Corde fovens hilari, tentâ mox accipit illam
Oscula ad atra manu, et propius complexus inhaesit:
Ilicet implexi per mutua terga colubri,
Insonuere atrum, et linguis micuere trisulcis.
Intulit inde ferox. O caeci robur Averni
Eximium, o superûm terror, nostraeque ruinae,
Eumeni, certa ultrix; si detur perdere gentem
Infensam, et victrix redeas, praedàque potita;
Mox haec sceptra cape, et solio hoc simul alta sedeto.
I velox, i; ne promissis defice tantis.
Non citius, radiis cum sol tepefecit arenas
Sidereis Libycas, densis niger imbribus auster,
Axe serenato, linquens de more Canopum,
Incubat Ausoniis, pennis rorantibus, agris;
Atque auras coeli superas conscendit Erinnys.
Ergo acri incoeptis animo feralibus instat;
Actaque Gorgoneis magnum secat aëra pennis:
Heu! tristem exercens, infelicemque volatum.
Nec vero immanem sine more aggressa laborem
Molitur; certâ sed enim de mente petitis

Auspiciis versat: primumque invisit alumnos
Laeta suos, laetis feralia munera portans.
His namque anguiferâ crines e fronte revulsos
Insinuat, tacite objectans: his comminus auram
Vipeream inspirat: sensim ad praecordia virus
His subdit, fraudum nempe irritamen ad artes
Acre adeo infandas: aliis mille effera corda
Mille dolis replet, et crudelibus instruit ausis.
Arrident laeti sontes, veteremque magistram
Agnoscunt; docilesque animis assueta capessunt
Pabula, tartareos ignes, flammasque rapaces.
  Talia per gentes pestis lethalis Averni
Passim Tisiphone dat monstra: ea prima malorum
Semina diffundens, regnis molitur egenis
Excidium, invisamque parat contundere gentem.
  At circum interea ductorem personat ingens
Turba Subasaeum; et lateri sese agmine denso
Agglomerant juvenum coetus, vitaeque recentis
Ultro desuetis adscisci cultibus orant,
Pectoraque objiciunt jussis, duroque labori.
At non sincerus, non castus suscitat omnes
Relligionis amor, non mens eadem omnibus ardet,
Mille adsunt ultro, quos illaetabile numen
Tisiphones agitat: corde insidiosa sub imo
Consilia hi tacite occultant, versantque dolosos
Ore sonos: responsa ferunt simulata rogati.
  Miratur dux ingentem juvenumque, senumque
Concursum: stupet audaces, vitaeque tenorem
Durum, insuetum, acrem optantes; ultroque labores,
Sors rerum quoscumque ferat, tolerare paratos.
At quamquam innumeros ductor bonus agmine sancto
Amovet (ignavos quippe hos mox conjicit: illos
Mentis obire dolo, atque infido pectore egenam
Militiam: tum centum alios, bis terque petita
Verba eadem, nec jam penitus sibi consona, produnt)
Non gentis tamen exiguas tenet ille cohortes;

Non solus deserta colit dux castra: sed ingens
Circumstat populus; nec jam virtutis egentes
Ductorem stipant acies, et signa coronant.
Ille infert sese medium: sociisque vocatis,
Et crebro in coetum, Patris de more, coactis,
Nunc bonus hortatu, jussis nunc lenibus instat;
Demulcetque rudes animos, et pectora fingit.
Tum ne qua incoeptae ventura incommoda vitae,
Neve iter horrescant durum virtutis ad aedes,
Multa illis memorat: neu jam monstrosa laborum
Agmina formident, monitis cavet; ardua monstrans
Praemia defessis palmae, optatamque quietem.
Praeterea angustos rerum denuntiat usus:
Praecinit et pugnas, durique horrentia martis
Praelia: nequicquam ignavos, sed viribus acres
Esse hostes, fraudum gnaros, bellique potentes,
Expertosque monet; nobis qui laeta deorum
Concilia invideant; coelo quique, arte dolosa,
Si qua hominum possint genus omne avertere summo
Contendant, captumque imo devolvere Averno.
Non tam sollicitam Massyla per avia pascens,
Imbellis, nec dum lunatâ fronte, juvenca
Dat matrem; horribilem fremitu, impastumque leonem
Si forte audierit; pavet illa; haec cornua pugnae
Aptat, et haud trepidans jam plagis objicit armos
Obnixos; gemitu proles exaggerat iras.
Interea clarum Francisci nomen ad astra
Attollit, perque ora virûm, perque arva, per urbes
Ingentes, pagosque breves, fama ardua jactat.
Nec vero Ausonios intra gemit anxia fines;
Appenninicolis nec tantum coetibus almum
Angusto canit ore ducem: sed concita pennis
Praepetibus, rutilas flaventis combibit undas
Laeta Tagi, extremos populos, atque ultima Calpes
Littora pervadens. At tu quoque, Gallia, nomen
Unde datum puero est, quamprimum agnoscis amatum;

Gallia, post Latias urbes quae proxima subdis
Colla jugo, monitisque sacris; et ad ardua cogis
Signa ducis, non parca, acies; age, nomine tanto
Insignis, jam laeta poli super astra, beatos,
Francisco ductore, aude sperare triumphos.
At pater ipse, animo secum una pressius alto
Incoeptae jam tum repetens exordia vitae,
Innumerasque videns late vigilare per orbem,
Se duce, centurias, et plenis ire suorum
Successus operum votis, nova pectore versat
Consilia: ut pater, Ausonias qui temperat arces,
Et septemgeminos moderans cum Tybride colles,
Fulminis igne sacro divini territat orbem;
Mox leges, ritusque pios, vitaeque futurae
Ipsa eadem, foribus residens fidissima coeli
Portarum custos, venientes accipit ultro
Felices animas; functosque laboribus astris
Inserit heroas, claroque immittit Olympo.
Quin et me, vestrum superet quo tutius altum
Quisque iter, audistis pridem mandata ferentem:
Haec illesa animis, moneo, servate volentes;
Et nostris, dum fas, parete hortatibus. Instat
Debita cuique dies, et inevitabile tempus
Imminet interitus cunctis: stat ferrea Clotho
Surdum opus intorquens, cogitque, trahitque morantes.
Ne vero res dura animos, angustaque frangat;
Neve horrens vexet cultus, tenuisque supellex.
Imo, o felices, iterumque iterumque beati,
Noscere si curae vobis sit munera, quae jam
Aurea paupertas fundet! Nempe hac duce quondam
Bissenum manus heroum, coelestia Regis
Aetherei signa attollens, validâque per orbem
Alta ferens dextrâ, bissena sedilia coelo

Et peperit tum dura sibi, et modo parta triumpho
Laeta tenet claro, totoque exsultat Olympo.
Non ergo haec eadem vobis regina parabit
Praemia? num tantum vobis infida, negabit
Proventum, et vestras vacuis spes ludet aristis?
Imo ubi diva potens, eadem et fidissima regni
Dux nostri, ore diu vestro, cultuque per orbem
Fulserit: emeritos vos blanda attollet ad altas
Continuo sedes, et tutâ sistet in arce.
Eja ergo, o socii, promissis fidite divae:
Neve mihi volucres sopito haec fingere somnos
Credite: numine agor, versoque in pectore numen.
Dixerat haec: et jam per languida membra refusus,
Frigenti serpit dolor altius, et vetat horrens
Plura loqui: tantum lustrat pia dextera coetus.
Tum vero somnus fluitantia lumina condit
Pacatus: mors purpureo consedit in ore,
Terrore exuta, et placidâ congesta quiete.
Quantus, Bistoniae cum primum, vere reverso,
Phoebeae rutilo percussae lampados igne,
Aut tepidis zephiri spirantis leniter auris
Incaluere nives, praecelsis liquitur humor
Montibus, et valles praeceps decurrit in imas:
Tantos demittunt humentia lumina rivos
Natorum; sic in lacrimas it turba profusas;
Frigentemque patrem gemitu circumstat amaro.
Ecce autem, regemens dum sic penetrale tumultu
Miscetur tristi, resonantque sine ordine voces
Luctificae, natis, et foemineo comitatu
Stipata, et sacri feralia rite sepulchri (quam
Dona ferens, Jacobe aderat: namque (haud mora) post-
Praepetis audierat coelestia jussa ministri,
Anxia, funereis opibus, de more, paratis,
Longum herois iter brevibus transegerat horis.
Ergo improviso Romana gementibus illis
Coram adstat mater: corpusque exangue jacentis

Ut primum vidit patris, irruit incita, et atrum
Incumbens gemit. Ac veluti Bethana virago
Aetherei quondam vestigia sacra Magistri
Ore, sinuque fovens, largo moestissima fletu
Lavit: eam interea tacitis incessere dictis
Aemulus, atque ignominià damnare pudoris:
Sic patris exanimi parcentibus Ausonis ulnis
Stellantes complexa pedes, atque oscula figens
Humida, inexhaustos gemitus dat pectore mater.
Tum lentam sese, quamvis properaverit, amens
Incusat, tardosque accessus increpat ultro:
Nec non visa refert, divinaque jussa renarrat.
Hic vero (immitis quamquam dolor omnia turbat,
Muniaque abrumpit gravis exequialia luctus)
Intenti comites, funebre ex ordine curae (ratus
Queis sacrum instruere est, fervent, moestosque pa-
Urgent ardentes. Ac primum sedis honestae
Delecto hospitio, suggestae molis in auras
Educunt tumulum, et sacrato carmine signant;
Fulgentemque crucem formant, notissima divo
Arma, virumque suis stellantem insignibus addunt.
Parte alia, puro latices e fonte petitos
Aere cavo excipiunt alii, domitosque calore
Flammarum expediunt, et corpus flumine purgant.
Cesserat has inter curas e corde parumper
Jam matris dolor; et tristem vis reddita mentem
Excierat. Tunc funereum jubet ocyus omnem
Ornatum afferri; vestes, funalia, odores,
Vela, torosque leves. Tum membra exanguia mollis
Carbasus obnubit, tenuique involvit amictu:
Mox vero Assyriis respergunt roribus artus,
Coryciosque imbres, et odora opobalsama vergunt,
Verque Arabum fundunt: Cinyreidos illita guttis
Vela Palaestinis super immaduere fluentis.
Defletum hic corpus molli imposuere pheretro;
Ultro humeris proceres cui mox subiere recurvis

(Grande ministerium !) : facibus longo ordine coetus
Fulgent accensi , et flammis late omnia lustrant .
Ut ventum ad tumulum, in medio statuere pheretrum:
Et circum ad cantus patres, de more, coacti,
Felici misere animae felicia honoris
Munera supremi, aeternamque dedere quietem .
Inde animo , linguaque gravis , maturus et aevi
Bernardus dextra corpus ter lustrat ; et unda
Spargit ter pura ; ter flamma , et thuris odore
Rite vaporatum , sacrata contegit urna .
  Rex vero aethereus , cum pridem in limine vitae
Luctantem heroem coelo spectasset ab alto ;
Longius haud passus crudos saevire dolores ,
Aligerûm ingenti circum stipante corona ,
Ultro se placido lapsu demiserat: et jam
Haec , instans olli supra caput , ore sereno.
O vita , o magnis defuncte laboribus , ecquid
Agnoscis me ? Agnosce: oculos nunc exere laetos.
Adsum equidem , toties olim promissa daturus
Gaudia: laeta dies eadem , et suprema, quieti
Haec te perpetuae , et magno transcribet Olympo.
Tuque , anima o saevis jam pridem erepta periclis,
Solvere: quid cessas ? terrena , age, vincula rumpe:
Molem linque gravem , sedesque attollere ad altas.
  Haec memorans Rex ore, manu jam pectus anhelum
Presserat: exsiliens mox illa , et frigida linquens
Membra , Deique sinus inserpens laeta per altos ,
Condiderat sese penitus. Nec dehinc mora: bigis
Illam sidereis vectam cum Rege Volucres
Sustulerant coelo , et delectâ sede locarant.

Ad Divum mancae laudis excusatio

Non potui , nec erat mihi fas aequare canendo
Te , pater ; aequasti qui donum aequabile nulli.

IN

FRANCISCIADOS LIBROS XIII.

ANNOTATIONES

ANNOTATIONES IN L. I.

v. 1 = 2. Astricomis ... vulneribus. *De hoc, et aliis insolentibus vocabulis, quae Maurus vel procudit ipse, vel ab impuris fontibus derivat, diximus in critica disquisitione initio voluminis, quam adeas, si placet. Hic ergo lectorem latini nitoris, et bonae poeseos studiosum admonebimus, nos valde in incerto esse utrum horum, novitasne verbi, an tumor metaphorae, maxime in primo poematis vestibulo, sit vitium dicendi magis improbandum. Quae ad epici carminis propositionem annotanda erant, in praefatione jam attigimus.*

10 = 22. *Imitatur Virgilium, Georg. L. I. v.* 24=42, *et Lucanum, qui Virgilii habet similia, Pharsaliae L.* 1. *v.* 44 = 66. *Confer utrumque poetam cum nostro, et videbis quod illi omnino falso, atque adulatorie, alter de Caesare Augusto, alter vero, pessimo exemplo, de immanissimo tyranno Nerone, hic verissime dici de Divo Francisco, qui quum et Seraphicus et Patriarcha pauperum, sive Evangelicae paupertatis Apostolus merito nuncupetur, haec dubium faciunt poetam, an inter Angelicos Ordines, an Patriarchas inter, et Apostolos receptus sit. Quare, ut primam Divini*

Spiritus (v. 5 = 9.) ita hanc alteram sanctissimi Patriarchae invocationem omnibus numeris absolutam judicamus .

46. Multa *pro* multum *est a Virgilio , aliisque bonis auctoribus ; sed hanc, aliasque itidem raras in illis dicendi rationes passim a Mauro usurpari videbis .*

69 = 70. *Hi duo Mauri versus in memoriam revocant illum Virgilii :* Haec alternanti potior sententia visa est ; *Aen: IV. v.* 287.

80. *Janus a Virgilio, Aen. L. XII.*, bifrons ; *ab Ovidio, I. Fast.*, biceps *nominatur , et alia item nomina habuit , vel cognomina ; sed illum* occipitis non lumine frontis vidisse, *nove , atque ideo non latine dictum videtur .*

176 = 212. *Describit poeta corruptissimos saeculi XII. mores , quo constet , factum omnino divinitus , ut Franciscus errantes homines ad bonam mentem, atque ad Evangelicas leges revocaret . Idem adfirmant in Prologo Auctores Vitae , quae inscribitur* Legenda trium Sociorum , *omnesque uno ore illius infelicissimi temporis Historici . Vide de hac re nostras in Aligherii hymnum annotationes ad finem . (n.* 1. *)*

216. *Hac periphrasi diducta a lustris ducentis , et quadraginta , quae a Christi obitu adnumerantur, indicatur poetice annus, quo Franciscus natus est Assisii ; qui annus ex cl. Papinii sententia (La Storia di S. Francesco d' Assisi ecc. Fuligno* 1825. *L.* 1. *C.* 1. *Pag.* 11. *) est a recuperata salute MCLXXXI. mense Septembri ; quo die vero, ignotum est. Locutio , quae numerum tantummodo rotundum exhibet , est plane Virgiliana .*

250. *Optimo jure et hic et postea,* v. 308,, *loquen-*

tem inducit poeta Divum Michaëlem, quippe et Coelestium Aligerum Princeps, et infernorum Spirituum generi humano adversantium hostis infestissimus, et quem Franciscus maxime colebat. Haec altera Michaëlis oratio imitatur Veneris orationem apud Virgilium, Aen. L. 1. v. 233., ut aeque Divini Redemptoris responsum, v. 348; licet sententiae initio repetitae sint, non valde quidem opportune, a Jobi Cap. XXXIII: tamen postea refert aliqua ex parte Jovis in dicendo tenorem (ib. v. 261.); in quibus Mauri orationibus, et maxime in ea quam postremam indicavimus, non semper poeticum decorem, ut Christianum vatem deceret, servari videmus. Quare si cupis perspicere, quomodo poeta Christianus Deum O. M., Coelitesque ex personarum gravitate loquentes debeat inducere, adi egregium Torquati Tassi poema (Gerus. Lib. C. 1. St. 7 = 12., et ibidem St. 13 = 17.) ubi et Pater Aeternus, et Divus Michaël gravissimis verbis loquuntur, quamquam italicae orationis forma ex ethnico poeta, nempe ex iisdem Virgilii locis desumpta sit.

444 = 486. *Pulcherrimus hymnus, quem delecti Ageres canunt in laudem divini Reparatoris. Hujus exemplar vide in Virgilio Aen. L. VIII. v. 285., ubi juvenum chorus, alter senum concinunt Herculis laudes. Hic vero in christianum argumentum apprime traductam imitationem adspicies, quamquam latini poetae vestigiis Maurus omnino insistat, etiam in ea figura, qua a narrantis persona in aliam verba transferuntur. Sed* calcare praelia, *quod habetur v. 454., nescio an bonam sapiat latinitatem.*

512 = 539. *Adverte hoc in libro, itemque in VII., Tisiphonem easdem agere partes contra Franciscum, quas Juno contra Aeneam in Virgilio; ideoque illam, et nunc et alias, in eamdem prope loqui sententiam. Vide Junonis orationes in I. Aen. v. 41., et in VII. v. 293.*

614. *Similitudinem lupae profecto Maurus duxit a Virg., vel ex II. Aen. v. 355., vel ex IX. v. 59.; sed alia omnino forma, et alium ad finem, mutatis, additisque circumstantiis, quae novam, et pulchram efficiunt: et haec imitandi ratio sane laudabilis.*

636. *Quis fuerit iste Macherius ex tellure Subasia, qui alios lacessit ad luctam, nos in Italicis hujusce aevi historicis nequicquam quaesivimus. Sed, quamquam bellum, quod Perusinos inter et Asisinates exarsit, non effinxerit Maurus (nam et Celanus de eo loquitur in secunda vita, c. 1. pag. 140., Tres Comites, c. II., ac saepe tunc temporis italicae urbes finitimae inter sese depraeliabantur, atque, ut lepidissime ait Tassonius, loquens de temporibus huic nostro proximis,* Secchia rapita *c. I. st. 3.*

Ruzzavano tra lor non altrimenti
Che disciolte polledre a calci, e a denti);

tamen hunc Macherium personam a Mauro confictam arbitramur. Illius autem cum Barconte singulare certamen descriptum est ad Virgilii normam, Aen. lib. V., ubi Daretem, atque Entellum cum cestibus luctantes inducit. At nova, et jocundissima nobis videtur in hac descriptione similitudo canis, v. 661 = 64., qui dentibus petit juvencum; quam poetae sui temporis mores praebuerunt. Tunc enim non modo plebecula, sed et principes

viri hujusmodi certaminibus delectabantur, quibus populi mores ferociores redduntur, quum juvenci adeo homini utiles, canesque nostri fidissimi custodes, sese invicem lacerantes conspiciuntur; quam consuetudinem et adhuc in aliquibus Italiae locis vigere quisquis humanitatis studiosus est, dolet quam maxime.

Sed certamen, quod postea Subasidas inter ac Perusinos gliscit atrocissimum, expressum est ex L. VII. Aen., ubi ex cervi occisione ferocem pugnam Ascanii comites, et Latini agricolae immiscent. Verum, ut aperte dicam quod sentio, pugna illa Virgiliana occasionem deinde praebet belli saevissimi, quod valde dubium facit, an Teucri possint in Latio consistere: quod idem fieri non videmus in hoc poemate; namque ex isto certamine, ac postea ex ipso bello, quod a Perusinis infertur genti Subasidae, nihil aliud consequitur quam Francisci captivitas; quae nihil pene ad illius maximas res pro Christiani populi utilitate perpetratas conferre nobis videtur.

ANNOTATIONES IN L. II.

v. 3. *Subasus mons est, ad cujus radices cubat Asisium, divi Francisci Patria. Hinc saepissime in hoc poemate Subasus pro urbe Asisio, et alia itidem nomina ab hoc detorta, quae ut propria, nemo reprehendet, quippe necessario, non ornandi causa efficta, quemadmodum coetera, pro quibus poetam nostrum incusandum censuimus. Habes in v.* 5. orae Subasidis, *pro agro Asisinate; occur-*

rent identidem vocabula Subasigenae,*pro* Asisinates; Gens Subasia *vel* Subasaea , *pro coetu Franciscali*, *pro civitate Asisinate ; et alia hujuscemodi* .

87 = 97. *Bellum hoc episodicum, quamquam prolixe descriptum reprehensione dignum putamus ; tamen poeta aliquo modo conjungit cum prima sui carminis actione. Illo enim nihil aliud quaerit Tisiphone, quam excidium Francisci , qui* decus immortale Subasi *futurum est.*

119. *Mauri figmentum, quo Birtolides cum delecta manu primorum juvenum sese Subasaeis proceribus, de summa Reipublicae consultantibus, aggressurum noctu negligentes hostes pollicetur , diductum est, nonnullis immutatis , a pulcherrimo Nisi, et Euriali episodio in IX. Aen. v.* 176 = 449., *cum quo conferre nostrum non absurda res erit.*

250. Numero exigui , sed vivida bello Corda, Subasaei , *est a Virgilio* .... : exigui numero, sed bello vivida virtus. *Aen. L. V. v.* 754.

286. *Versus est* 160. *L. VI. Aen., mutato tantum ultimo vocabulo; nam pro* serebant , *Maurus reposuit* volutant. *Sed hoc convenientius viris suspensis , et de summa reipublicae salute in eodem loco consultantibus ; illud dubiis, sed iter facientibus.*

303. *Oratio Mistae , qui coelesti Numine afflatus, suos ab incoepto deterret , monstratque longe Franciscum , decore admodum efficta nobis videtur, quo Perusini sine ignominia absistant a bello, domumque , re infecta , revertantur. Nobis tamen , ut ingenue loquamur , non placet recessisse poetam ab historia ; quae edocet , non unum Franciscum, sed alios etiam Asisinates , tam nobiles quam*

ignobiles, inter captivos fuisse; atque, ut Celanus inquit, elapso tempore modico, *ut Tres Comites*, expleto anno, reformata pace, *a vinculis omnes liberatos. Quae nihil ad fabulam, ut haec magis vel juvet, vel delectet, possunt conferre, praesertim in hujusmodi carmine, quod totam herois vitam complectitur, satius est a poesi ea removere, in iisque ab historia non aberrare. Poterat Maurus aliquid ex Francisci captivitate attingere, quo illius vel resipiscentiam praepararet, vel futuram sanctimoniam portenderet, eo magis quod historia nonnulla huic rei opportunissima suppeditabat.*

353. *Thesauri allegoriam, cujus amore exardet Franciscus, transtulit poeta non tantum ab Evangelio, ubi praecipitur, quaerendum esse* thesaurum non deficientem in coelis, *sed ab iis, quae memorat Celanus in Vita Prima, C. IIII.; quibus si ille omnino adhaesisset, multo magis poetica fuisset narratio.*

Jam resipiscit Franciscus, et in speluncam montis Subasi se recipit, ubi commissa deflet piacula: quod tamen, recuperata libertate, non subito evenit. De antro illo loquuntur omnes Divi Patriarchae historici.

369. Flavi montis: *is est Subasus, quem poeta appellat saepe* oliviferum, *ideoque* flavum, *epitheton hujus arboris proprium, ut nos edocet Virgilius, Aen. V. v.* 309.: flavaque caput nectentur oliva.

388. *Duobus morbis afflictum fuisse Franciscum, antequam perfectiorem vitam inciperet, narrant historici. Primum aegrotavit anno aetatis suae quarto et vigesimo, laboravitque stomachi, et virium defectu a quo morbo*

liberatus despicere coepit quae antea dilexerat : sed, ut memorat Celanus, Vita I. p. 6. : Expectat Franciscus adhuc divinam fugere manum, et paternae correctionis paulisper oblitus, arridentibus sibi prosperis, cogitat quae sunt mundi etc. *Proximo autem anno repente in morbum incidit Spoleti, quum militatum iret in Apuliam cum quodam equite suo familiari, ut gloriam, cujus avidissimus erat, sibi compararet. Quum hic febri aegrotaret, dormienti sibi audiit indici, Deo serviendum, Asisiumque pedem referendum. Nescio cur Maurus de primo tantum morbo locutus sit, cum alter magis poeticae fictioni idoneus videretur.*

415. *Verbum* colludere *de viribus jam confirmatis, vel roboratis usurpatum, non arbitror proprie dictum. Similitudinem colubri, v.* 417 = 19. *transtulit Maurus a II. Aen., v.* 471 = 75.

420 = 76. *En primum Francisci factum maxime dignum commendatione, quod in omnibus ejus historicis invenies. Hoc fuse narrari non displicebit, si cogitaveris, hanc esse cyclici poematis naturam, quae insignis viri res gestas pene omnes enarrat.*

477 = 85. *Famae descriptionem, imo pulcherrimam omnium Idolopejam in IV., Aen. v.* 174 = 90., *quis ignorat? At vide quam sit periculosae plenum opus alaee adtingere ea, quae summi poetae adamussim effinxerunt. Cur hic noster Famam depingit* raucisonam, *et cum* gutture stridenti, *quum praeclarissimum factum divulget, non pravum ut Fama Virgilii, qui tamen illi* raucum *hunc* sonum *non dedit? Cur* scissae vestis ei tegmen *adtribuit, quum* mobilibus alis *postea* adtollatur? *Nec video, cur ea* pernici

cursu ardua nubila exsuperet, *quod in Virgilio, ut caetera, allegorice, et perbelle confictum: neque huic loco quadrat; nisi dixeris, voluisse Maurum significare, illud Francisci factum non modo per vulgi, sed et per principum virorum ora quam celerrime ivisse; quod et longe petitum, et absonum hic judicamus.*

486 = 578 *Non videtur nobis personae decori conveniens haec fictio, qua Aeternus Pater, ut ad Franciscum mitteretur Ales coelestis, eligit pingendi et exculpendi peritum, qui, utpote hujusmodi picturis coelorum atrium affabre ornaverat, Francisco allegoricas picturas effingeret. Nec minus importunum arbitramur alterum commentum (v.* 541=578*), quo Aliger aethereus deum Somnum inquirit, qui Francisco soporem injiceret, ut ipse postea divinum mandatum perficiat. Hoc ab Areosto primum excogitatum est, qui Divum Michaëlem facit itidem Dei jussu quaerentem Discordiam, et Silentium, quorum alterum in Somni domo morantem ille invenit; ejusque domus descriptio, quamquam ex XI. Metam. v.* 592. *magna ex parte sublata, miram tamen habet suavitatem, leporemque (Vide Orl. Fur. C. XIV. St.* 75; *et ib: St.* 92 *). Id vero non dedecet omnino tam varium, tamque multiplex poema, quod sapit etiam comoediam: at in hoc carmine pene totam Sanctissimi Patriarchae vitam complectente, hujusmodi commenta locum habere plane non debent. Nec praetereundum, Summi Patris orationem esse longiorem quam postulet Supremi Numinis Majestas, cui breviloquium dandum est, ut bene Servius adnotavit ad ea Virgilii:* Juppiter haec paucis; *Aen. X. v.* 16.

543 . . . distertere opinus. *Vox* distertere *non proba est , sed simplex* stertere *; nam* desterto *latine quidem dicitur , at alio prorsus sensu , id est* stertendi finem dare *; quod huic loco contrarium est. Neque* opinus *construitur ex optimae notae scriptoribus , apud quos et adjective sumitur , et* nec *illi praemittitur . Sed fortasse scribendum erat* opinans.

581. *Visi hujusce mentionem facit Celanus, praecipue in Vita altera, pag:* 141. . . . . Palatium speciosum sibi *(Francisco)* in visione ostenditur , in quo varios apparatus armorum , et sponsam pulcherrimam cernit; vocatur in somnis Franciscus ex nomine , et horum omnium promissione allicitur. *Picturas addidit Maurus , qui tamen* Sponsam *non debuisset praeterire.*

708. *Arboris visionem arbitror a Mauro translatam non ex ulmo Virgilii , sede somniorum, quae foliis sub singulis haerent (Aen. VI.*282.*) sed ex libello italice scripto tam simpliciter et nitide, quam qui maxime, cui titulus* = FIORETTI DI S. FRANCESCO = , *ubi haec narrantur :* Frate Jacopo della Massa m' ha manifestato, e detto, che dopo molte cose, che Iddio gli rivelò dello stato della Chiesa Militante, egli vide in visione un arbore bello e grande molto, la cui radice era d' oro, li frutti suoi erano uomini, e tutti erano Frati Minori: li rami suoi principali erano distinti secondo il numero delle Provincie dello Ordine, e ciascuno ramo avea tanti Frati, quanti n' erano nella Provincia improntata in quello ramo, e allora egli seppe il numero di tutti li Frati dello Ordine, e di ciascuna Provincia, e anche li nomi loro, e la etade, e le condizioni, e gli uffici grandi, e le dignitadi, e le grazie di tutti, e le colpe (*C.* 48. *p.* 89. *Ediz. del P. Cesari*). *Sed hoc aliquanto post Franciscum contigisse, nempe*

cum Beatus Joannes Parmensis coetui Franciscali praeerat: ideoque anacronismon hic esse, et Maurum, item ut supra, plura de suo penu adjecisse perspicies. In hac enarranda visione, poeta effinxit vocem Frondigenas, *i. e.* fronde genitos, *ad formam* nubigenae, *vel* terrigenae, *quae latinissimae sunt: eamque minime damnamus eamdem ob causam, quam supra adtulimus.*

807. Puer Idaeus, *est Ganimedes, cui nolim Franciscum puerum comparari.*

851 = 898. = 918. *Hi duo puelli, qui duabus ex frondibus ejusdem plantae exsiliunt, sunt duo Divi Patriarchae Alumni; Antonius nempe cognomento Patavinus, et Bonaventura, sanctitate non minus quam doctrina utrique insignes: quod apertissime declaratur a versu* 920. *ad* 942.

991 = 99. Portae somniparae. Somniparus *vox est ex vocabulis* pario et somnus *efficta, quam Maurus parere non debuisset. Portas autem Somni, alteram ex ebore, ex cornu alteram, sumpsit idem ex VI. Aen., nescio tamen quam apte ad suum consilium.*

ANNOTATIONES IN L. III.

v. 23 = 27. *Eleganter hisce versibus significatur Christicolas vocari ad sacrificium solemne cum cantu.*

Ea quae sequuntur, partim ex historia deprompta sunt, partim a poeta nostro conficta. Referunt enim historici, Franciscum ad divi Damiani templum venisse, ante Christum in cruce suffixum orasse, eumque loquentem audiisse, atque imperantem, ut fa-

tiscentem Ecclesiam restauraret: quod non de illa, ut inquit Celanus pag. 145., quam Christus proprio sanguine acquisivit, sed de templo divi Damiani, jam pene ad ruinam prono, Franciscus interpretatus est.

109. *Dat hic poeta verba Francisco, antequam aurum de paterna arca auferat, nimis fortasse longa; sed profecto hanc iterum (V. L. I. v. 176 = 7.) occasionem arripuit, ut pessimos illius saeculi mores describeret, quo clarius pateret, quantum Christianus orbis debeat sanctissimo Patriarchae, qui pristinos Christicolarum purissimos mores, atque instituta revocare aggressus est; quam rem attigit etiam Poeta Florentinus in laudibus Francisci et Dominici. (V. Ann. 1. in versum* = In se sicura *ecc.)*

208. *Non intelligo cur hic quoque poeta, et libro proximo, ab historia recesserit. Non enim Franciscus, ut divi Damiani templum restauraret, aurum ex patris arca furtim, amotis vectibus, subripuit; sed stragulam vestem ex patris taberna plurimam eripiens, Fulginium eam secum, equo insidens, portavit; venditisque protinus veste et equo, pedes, pecuniam detulit ad divi Damiani aedituum. Ita sese habuit res, ut omnes antiqui historici, nulla differentia, testantur; Celanus, Vita I., Cap. IV.; Tres Comites, c. VI; Bonaventura, c. II. Sic furtum magis patrem latere poterat; sic demum, nostra sententia, narratio plus admirationis, plus probabilitatis simul, et jucunditatis habuisset. Nec quae postea de patre excandescente a poeta effinguntur, ab historiae veritate aeque aberrantia, eamdem ob causam nobis omnino probantur. V. L. IV. a v. 14. ad 96]*

265. = 768. *Exemlo Heleni, qui L. III. Aen, a v.* 374. *ad* 462., *Aeneam non modo cursum quem debeat tenere, sed etiam quid ei peragendum sit, postquam in Italiam appulerit, quaeque illi posthac evenient, edocet omnia non brevibus verbis, Maurus aedituum divi Damiani inducit, qui fatidico ore locutus, primo Jesu Christi verba interpretatur, deinde quae illi divo numine, ac mente contingent, singula expedit. Quisquis non ignorat, Deum O. M.* superbis resistere, humilibus autem gratiam dare, *non indecore humili aedituo tantarum rerum praedictionem tributam judicabit. Sed hic, ut alias, majorem fortasse lector eruditus rerum, et verborum parsimoniam saepius desiderabit.*

557. *Effuge hoc alterum insolens vocabulum* lenticomus, *quod Maurus a verbis* coma *et* lentus *audacter nimium effinxit.*

563. = 618. *Historiam hujusce* Capellae, *sic nuncupati ab italica voce* cappello, *quod, ut noster inquit, primus inter suos caput tegendi usum invexit, quique, licet divi Francisci socius, Judam Iscariotem imitatus, laqueo sese suspendit, abnegant, et omnino rejiciunt recentiores Francisci vitae scriptores (Vide cl. Papinium L. I. p.* 196.*); quippe veteres hujusce rei mentionem non faciunt. Et profecto Celanus, in Vita altera, p.* 156., *duos commemorat fratres, qui magnam sibi sanctitatis famam aucupaverant; sed eos semel visos, bonum habuisse vultum, non ingenium, D. Franciscus judicavit: de quo, ait ille loquens de secundo,* judicium Sancti patris, quod perversus erat, apostasia tandem probavit; *sed neutri eorum cognomen* Capellae *fuisse tradit. Tres Socii*

tantummodo memorant Joannem de Capella, ut sextum qui sese Francisco addidit comitem (C. IX).

604. *Plagam hic Erebi sextam nominat Maurus, Aligherium potius, qui in ea hypocritas coërcet, quam Virgilium sequutus, qui, Aen. VI. v. 434., in tertia umbrarum regione eos collocat, qui* lucem perosi animas projecere.

618. Hoc uno avulso comite, haud tibi deficit alter. *Versus ex Virgilio desumptus, Aen. L. VI. v.* 143.: uno avulso, non deficit alter*; sed a propria significatione ad metaphoricam non sine lepore translatus.*

667 = 723. *Divertit poeta in laudes Hispelli, patriae suae; quod nemo profecto ei vitio vertet; sed, licet sub alia persona, paullo jactantior quam par erat, de se ipse loquitur, qui post lustra bis terdena, saeculo nempe XVI. ineunte, ibi natus est, inopi militiae nomen dedit, et primus Franciscum epico carmine in coelum sustulit.*

731. *Attingit poeta calamitates, dissidia nempe, ac tribulationes in Minorum Ordine olim futuras: quas quum d. Patriarcha, morti proximus praedixerit (V. Bonav. C. XIV., et Papinium, L. I. N. XVII. p. 238.), non erant hic memoranda, nec contra vaticinantium morem tam singillatim cuncta enumeranda.*

ANNOTATIONES IN L. IV.

v. 163 = 170. *Adverte novitatem, venustatemque similitudinis, qua Franciscus curis hinc inde oppressus, comparatur puello, quem dura tetrici magistri jussa cogunt nodosum lemma extricare.*

171 = 402. *Commentum, quo Voluptas et Virtus Franciscum ad sese allicere, pro viribus quaeque, conatur, transtulit Maurus a noto poemate de Herculis clypeo, quod Hesiodo solet attribui: sed earum orationes Ovidianam luxuriem imitantur, et superant.*

412 = 18. *Voluptas indignatur, quod Franciscus forti animo illius monitus contempserit; sed sese tamen solatur, cogitans illud tempus, quo, post Francisci obitum, propago ab illo ventura suum per terrarum orbem vexillum portabit, eique inserviet. Quibus verbis nobis illud tempus significari videtur, quo Elias universo coetui Franciscali praepositus, pristinam Divi Patriarchae paupertatem, duramque vitam oblitus, sese divitiis, luxuriaeque corrumpendum dedit, aliosque non paucos sui imitatores effecit: de qua re vide libellum Italice scriptum, cui titulus:* Vita di Frate Elia ecc. scritta dal P. Ireneo Affò M. O.; Parma Carmignani, 1783. p. 74. *Si vero poeta respexit ad Franciscales atratos, qui auctoritate Summi Pontificis, aliquid de rigida illa paupertate remiserunt, quibusque permissum est ut praedia possiderent, temeritatis notam effugere haud potest.*

428 = 663. *Convivium, quod Franciscus sodalibus, ab his impulsus, paravit, narrat Celanus, Vita Altera p.* 141., *ac Tres Comites, c. III. Verum hoc contingit statim ac Spoleto in patriam ille reverterat, Christi militiam, non mundi, secuturus, antequam Jesus Christus de Cruce ei loqueretur, et quam de stragula veste furtim divendita, ac de abjecta et paupercula vita adeo saeve illi pater succenseret. Quam rerum seriem absque causa hic esse a Mauro turbatam, no-*

bis omnino non placet ; licet epici poetae nec temporum, nec rerum ordinem servent in narrando , ex prisca licentia. Sed hujusmodi convivii descriptio, maximi erat in hoc poemate momenti ; propterea quod ab illa hora *(ut ajunt Tres Comites, C. C.)* coepit sibi *(Franciscus)* vilescere, et illa contemnere , quae prius habuerat in amore , non tamen adhuc plene , quia nondum erat penitus a saeculi vanitate solutus. *Peracto convivio , Franciscus, qui psallentes saltantesque sodales lentissime persequebatur , gradum repente continuit , restititque diu immobilis , divina quadam spiritus jocunditate perfusus. Hic , quum ejus adspectu obstupescerent socii , cuidam ex illis interroganti an uxorem vellet ducere, respondit, sese omnium nobilissimam, ditissimam, pulcherrimamque ducturum, paupertatem allegorice intelligens. Cur ergo historiae veritatem , tot mira continentem, deseruit poeta, ut fictas sine ratione fabulas consectaretur ? Ea praetermissa , quid Maurus reposuit ? Nempe Idam puellam canentem ad sonum chordarum , qui primo Joannis Evangelistae laudes concelebrat , dein futuras Francisci res gestas fatidico ore praenunciat. Est ne veri simile , hoc in eo convivio factum , ubi juvenes ,* filii Babylonis, *ut illos nuncupat Celanus , discumbebant ; quique , ut ejusdem utar eloquio,* cibariis repleti ad vomitum, plateas civitatis ebriis cantilenis commaculabant ? *Verum post aeditui in libro praecedenti, aliaque id genus vaticinia , quid hoc opus erat? Caeterum hic etiam conatus est Maurus imitari Virgilium , qui, Aen. I. v.* 703 = 751., *crinitum Jopam inducit canentem ad Didonis mensam ; et ab eodem etiam convivii*

apparatum magna sumpsit ex parte.

448. *Franciscus absens* niveo *lapillo subdidit* furvum, *id est atrum, ex notissimo veterum more, qui dies felices* albo *lapillo, dies autem aerumnosos* nigro *notabant. Sensus ergo hic est: diem felicissimum in tristissimum vertit absentia Francisci: quod tamen longe abest a vero; ille enim aderat convivio.*

459. Poscit tum praesul ab alto plectra toro. *Praesulis nomine hic intellige thaliarchum, seu convivii praestitem, quem diximus supra fuisse, ex historicis, Franciscum: de quo vide etiam Ann. VIII. in Hymnum; v.* Nè gli gravò ec.

526 = 558. *Ida puellus, loquens de Joanne Evangelista, visum primo unius, deinde quatuor coelestium Aligerum describit, ad normam eorum quae in Apocalypsi describuntur, C. VII.; ubi Franciscus, quemadmodum ait d. Bonaventura, in Prol. Vitae B. F.*, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei vivi habentis, astruitur non immerito designatus.

652. *Vide annot. in v. 286. L. II.*

769. = *ad finem. Diximus jam nobis non probari poetam deserentem historiam, quae docet, Franciscum renuentem prius ad jus vocari coram Consulibus, stitisse postea, patre citante, coram Episcopo, eoque praesente, cessisse bonis paternis. Neque ea longa oratio (850 = 871.), qua Franciscus patrem neque ex vero, neque ex decore incusat, tanti est, ut simplicitatem, ac sublimitatem repraesentet illius brevissimae, quam refert Celanus (Vita Altera, p. 146.):* Audientibus autem, qui convenerant, multis; amodo, inquit, dicam libere Pater noster, qui es in Coelis, non pater Petrus Bernardonis, cui non solum reddo

Ecclesiae pecuniam, sed integre vestimenta resigno. Nudus igitur ad Dominum pergam. *Disce, lector, ex hoc loco, copiam sermonis officere interdum sublimitati, cui simplicitas, et breviloquentia sunt caeterarum omnium virtutum carissimae. Habes in v.* 772. praesule sacro, *et alias persaepe hoc vocabulum pro Episcopo, vel Antistite, quorum alterum magis ad poesim idoneum; sed vox* praesul, quod ea fuerit principis Saliorum appellatio, *ut jam annotavit Morcellius, Elect. l. I., Epig. IV., male aptatur Episcopo.*

ANNOTATIONES IN L. V.

Et hujus libri initio, ut alibi annotavimus, poeta, saepius quam necesse fuerat, ab historia recedit; nec semper, mea quidem sententia, feliciter. Displicet eum nihil dixisse de vinculis, in quibus inventum filium, et inhumanissime vexatum pater domi habuit aliquamdiu, invita uxore, quae natum, absente marito, ab illis exsolvit. Verum est quod ait de Antistite Asisinate (v. 17 = 29)*, hunc suo pallio nudatum Franciscum contexisse; sed confictum est quod postea legitur, agricolam nempe improviso ad urbem, negotii causa, advenisse, suumque rude tegminis textum, ex humeris rejectum, dedisse Francisco: hic enim agricola inter Antistitis familiares numerabatur. Nec credas subito Franciscum amatae crucis forma textum illud vulgare insignivisse (v.* 45.)*: tunc etenim, ut memorat divus Bonaventura, inventum forte gypsum cepit, eoque vestem ad crucis normam in rustico illo texto notavit; quod revera protinus effecit. Deinde Antistes (v.* 81 = 140.*)*

divino Numine afflatus, juvenem solatur, *et laudibus ad coelum effert; quantaque ab eo sint peragenda praedicit: cujus orationis alteram partem, si ea advertas quae diximus ad v.* 428, *L. IV., omittendam fuisse censebis.*

49. Performidabile, *vocabulum* a formidine, *vel* formido, as, *novo exemplo a Mauro procusum*, *et*, *quod pejus est, saepe repetitum.* Performidatus *et* performidolosus, *ad quorum exemplum illud effictum est, satis latinae sunt voces.*

86 = 87. Quis Deus, quae Numina. *Haec* magis portenta, quam nomina, *ut verbis utar divi Hieronymi*, in ore Christiano sonare non debent.

159. *Pro* Atracia arte, *seu Thessala, magicam intellige, sic dictam ab Atrace, urbe Thessaliae, ubi haec pessima ars maxime viguit.*

248 = 386. *Aliquot annos post conversionem, vitamque in solitudine durissime actam, quam rem eleganter descripsit poeta a v.* 190. *ad* 247., *coepit revera Franciscus, et literis et voce, homines a vitiis absterrere. In hac oratione arbitror Maurum pleraque congessisse, quae in divi Patriarchae epistolis habentur, ad earum exemplum conscriptis, quas prisci Ecclesiae patres ad universos Christicolas dare solebant. (Vide S. Francisci opera omnia; Augustae, Anno MDCCXXXIX.; Opusculorum Tomo I. P. I.)*

290 = 91 *Ex v.* 19. 20. *Aen. L. VII.*

376. *Virg. Aen. IX. v.* 641. sic itur ad astra. *Mauri versus est pulchra hujus hemistichii paraphrasis.*

380 = 84. *Lector Virgilii studiosus meminisse debet, hunc locum desumptum esse ex Elysii descriptione, Aen. VI. v.* 640, 1.: *duos autem versus postremos, ex eodem libro v.* 795, 6.

403 = *ad finem. Loquitur poeta de Bernardo Quintavalle nsi, quem vocat divus Bonaventur*

Francisci primogenitum, tam prioritate temporis, quam privilegio sanctitatis ; *a B. autem Leone in B. Aegidii vita dicitur :* Vir mirabilis, multa decoratus prudentia, et divitiis redundans.

Ludit autem poeta (v. 404. = 12.) *in nominis origine primum a* vere *deducti ; unde* vernus, a, um, *et, ex illius sententia*, Vernardus, *donec litera v. in b. mutata ex more plebis romanae, quae* bixit *pro* vixit *proferebat (sic etiam Tusci scriptores, primis italicae linguae temporibus,* boce *pro* voce, boto *pro* voto, *aliaque id genus edebant, scribebantque)* Bernardus *effectus est. Hujusmodi collusiones dedecent fortasse epicum poetam; sed Maurus in hoc quoque Virgilium sequutus est, cujus exempla vide in Annot. V. ad Hymnum Alighierii.*

452. *Suum Genium appellat Angelum custodem suum, ad quem sequitur pia, et elegans precatio.*

583. *Hujus orationis, quam ad Eumenides habet Michaël, initium desumptum videtur ex illa, quam ad malignos spiritus a coelesti Aligero habitam esse legimus in maximo Italorum Vate (Inferno. C. IX. v.* 91.).

771. *Bernardi conversionem narrant fusius Tres Comites C. VIII. ; verum nec isti, nec alii historici hanc referunt visionem. Maurus, ut mirabiliora faciat quae narrat, multa effingit imitando Virgilium, ethnicamque superstitionem: quae res raro admodum Christiano argumento commode aptatur.* Trini *autem* monitus *(v.* 786.), *quos de cava nube vox reddita edicit, qui sint, disce ex d. Bonaventura, C. III., ubi haec habentur.* A Deo, inquit *(Franciscus)* est hoc consilium requirendum *(nempe quomodo Bernardus mundo nuntium remittens Deo inserviret).* Intraverunt proinde in Ecclesiam s. Nicolai, et, oratio-

ne praemissa, cultor Trinitatis Franciscus ter Evangeliorum librum aperuit, trino a Deo exposcens testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus*. In secunda: *Nihil tuleritis in via*. In tertia vero: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. Haec est, ait Vir sanctus, vita, et regula nostra, omniumque, qui nostrae voluerint societati conjungi.

848. Mox cuncta simul date cognita venum. Hoc est venumdate, *ex usitata apud Grecos, et Latinos figura, quae Tmesis appellatur*.

ANNOTATIONES IN L. VI.

v. 1 = 7. *Verissimum est quod inquit poeta, Francisci famam magis magisque in dies per gentes crebrescere; cujus rei praecipua causa haec erat, quod hominum mentes non minus exemplo, quam verbis efficacissimis illico a vitiis removeret, atque ad perfectae vitae rationem impelleret. Nec fere unquam populo verba faciebat, quin aliqua insignis viri conversio recenseretur. Quod etiam testatur maxime ille* Ordo, *qui dicitur* Tertius, *vel* Ordo Poenitentium, *institutus propter illos, ut legitur in Chronico* XXIV. *Generalium*, qui matrimonio juncti facere poenitentiam flagitabant. *Tot enim erant viri et foeminae, qui Francisci verbis commoti ad meliorem frugem redire cupiebant, ut, quum in claustra secedere non possent, novam propter illos sodalitatem instituere necesse fuerit.*

Vitae institutum, quod Franciscus suis servandum proposuit, continet hic liber. De quo illud prius admonendum videtur, quod me-

morant Tres Comites, C. IX., ad finem : Plures regulas fecit, et eas expertus est priusquam faceret illam, quam ultimam reliquit fratribus. *Quaenam igitur ex multis est haec, quam integram poeta versibus complexus est? Prima perscripta fuit A. R. S. MCCX.; eaque in Capita XXIII. divisa, ab Innocentio III. qui tunc rei christianae praeerat, non Apostolicis literis datis, sed voce tantummodo fuit adprobata. Ultima autem, quae dicitur* secunda regula, *verbis etiam pressior, at prioribus remissior, confirmata fuit ab Honorio III. Pontifice O. M., Kal. Decembris A. MCCXXIII. Hanc nobis exhibet Maurus, sed more suo, et ex licentia epicis praecipue vatibus concessa, multa quae spectant ad primam, cujus nullum extat exemplar, ea praesertim omnia, quae ad Romanum iter a Francisco cum undecim sociis susceptum, ad visiones, ac demum ad summum Pontificem Innocentium, transtulit in ultimam; sed isthaec narratio habetur in proximo libro.*

In editione Fulginati Franciciados, quam prae oculis unam habemus, signata sunt ad libri oram ejusdem Regulae capita, a I. usque ad X., ut quodque caput deinceps a poeta pertractatur. Nos ergo, ut lectorum, et maxime religiosorum hominum utilitati consulamus, aliquid de hujusce regulae capitibus, sobrie tamen, attingemus. Poeta vero fusius multo haec tractat, quam sanctus Patriarcha; et plura adnectit, quae decerpsisse putamus ex illis, qui commentationes in Regulam divi Francisci conscripsere.

117 = 167. *Pertractat poeta ea, quae in secun-*

da Regula brevissime conscripta sunt, C. I. nempe de observantia eorum, quae in Evangelio praecipiuntur, de tribus votis, deque obedientia, et reverentia, quam debent Fratres Summo Pontifici, atque uni totius ordinis ministro.

168 = 252 *Vide C. II., ubi agitur* de iis, qui in Ordinem sunt recipiendi.

253 = 363. *V. C. III., quo agitur* de divino officio, et jejunio, et quomodo Fratres ire debeant per mundum.

A. v. 272. usque ad v. 280. legitur egregia paraphrasis Dominicae Orationis, quam etiam Italici poetae nonnulli nobilissimis versibus incluserunt : quos inter praecipue enumerandi videntur summus Aligherius, qui ab illa incipit C. XI. Purgatorii, et Peregrinus Salaudrius, qui illam expressit Italico epigrammate ejus generis, quod nuncupatur Sonetto.

321. Quae trudit noni mensis lux prima kalendas. *Indicat mensem novembrem, qui nonus est a martio, unde Romanis annus exoriebatur. Ab illius mensis kalendis incipere debet ex regula primum magnum jejunium, quod producendum est usque ad diem natalem Divini Reparatoris. At v. 326. loquitur poeta de altero jejunio, item quadraginta dierum, quod a festo Epiphaniae suscipiendum est, sed sponte, non jussu : versibus autem* 342 = 3. *praecipitur jejunium singulis totius anni sextis feriis: quae omnia habentur in hoc capite III.*

359. *Versus factus ad exemplum Virgilii :* Et bene apud memores veteris stat gratia facti. *Aen. IV.* 539.

364 = 424. *Consule C. IV.* Quod Fratres non reci-

piant pecuniam. *Hic Maurus, versibus* 384=6, Haec etiam *(paupertas)* stabulis.... Avertat nostris pecuaria cuncta necesse est, *praelibat nonnulla ex penultima regula, quae in postrema non leguntur. In illa namque, C. XV., haec occurrunt :* Nullo modo apud se, nec apud alium, et aliquo modo bestiam aliquam habeant *(Fratres mei, tam Clerici quam Laici)*.

425 = 462. *Hic ea continentur, quae habet C. V;* De modo laborandi.

463 = 548. *V. C. VI.*; Quod nihil sibi approprient Fratres, et de eleemosyna petenda, et de Fratribus infirmis. *Versu* 485 *:* ne proli (posthuma quondam etc.) . *Verbis his prolem quae posthac aliquid possideat*, posthumam *appellat, quod nempe veros Francisci imitatores eos autumat poeta, qui unice adament paupertatem. Vide Ann. ad v.* 412=18. *L. IV. Sed a v* 508. *ad* 527 *. legitur pulcherrimus hymnus in laudem paupertatis, quem aptissime poeta tribuit Francisco, qui et hymnos cecinit, et paupertatis sponsus vocabatur. Locus ille* : Summo tu denique malo etc., *diductus nobis videtur ex Aligherio, quem, si placet, consule, notrasque in eum locum commentationes, N. VI.*

549 = 618. *Pertractat poeta ea, quae leguntur in C. VII.*, de Poenitentia Fratribus peccantibus imponenda.

619 = 697. *Hoc loco Maurus complectitur quae praecipiuntur et Capite VIII.* de electione Generalis ministri *etc; et C. IX.* de praedicatoribus.

698 = 796. *V. C. X.*, de admonitione, et correctione Fratrum, *cujus hic noster est fidus interpres.*

797 = 833 *Consule C. XI.*, Quod Fratres non ingrediantur monasteria Monacharum.

820. Tertia Acidaliae Divae commenta. *Qui sensus hic lateat non obscurum est, si quis hujus XI. capitis verba attente consideret, ubi I. praecipitur*, ne Fratres habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum; *II.* ne ingrediantur monasteria Monacharum; *III.* ne fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur *Commentum hic in malam partem accipiendum est pro mala fictione, dolo, vel fraude. Hoc ultimum ergo est tertium Veneris commentum, idest tertia fraus, qua sub pietatis, et religionis specie, Francisci sodales Venus in sua retia trahere studebat.*

834. *Consule C. XII. et postremum, cujus titulus est:* De euntibus inter Saracenos, et alios infideles. *Duo postremi versus habent aliquid simile Virgilii in tribus postremis L. III. Aen. versibus, in quibus poeta suam ipse concludit narrationem, postquam Aeneas tamdiu Deorum fata, suosque cursus docuerat.*

ANNOTATIONES IN L. VII.

A 1. *versu usque ad* 154. *describitur Daemonum concilium, quod advocatur, ut Francisci incoepta frustra sint. Hoc loco poeta decerpsit nonnulla ex VI. Aen. aliqua etiam ab Aligherio; sed integram imaginem hausit praecipue ex L. I. v.* 121=235. *Christiados Hieronymi Vidae: ex quo nobis videtur et magnus ille Torquatus Tassus hausisse pulcherrimam concilii ab Inferorum rege habiti descriptionem (Ger. Lib. C. IV. St.* 1. *e seg.), qua caeteros omnes superavit.*

139 = 154. *Imitatio haec est manifesta Virgilii,*

apud quem, Aen. L. VII. v. 323 = 571., *Alecto, Junonis impulsu, furorem suum primum in reginam Amatam, deinde in Turnum, Rutulorum regem, ac postremo in Latinos agricolas, Teucrosque immittit; ubi ea quae ad Turnum spectant (v.* 445. *) prae aliis omnibus poetica visa sunt Juvenali (Sat VII. v.* 66 = 71.*)*.

221. *De illis quae hic ad finem usque narrantur, diximus in prima superioris libri annotatione.*

245. Romulides nutu torquet pater optimus. Romulidum *puto legendum; namque, ut docet Morcellius (Elec. L. I. C. II. Ep. VI.)* Romulidae *sunt Romani*, Romulides *autem Romanae; ut apud Virgilium* Iliadae, *et* Iliades. Romulides *autem singulari numero non est latinum.*

272 = 308. *Totus hic locus, ubi aeternus Pater dat mandata juveni Aligero perferenda ad Summum Pontificem, quo praeparatur Francisci adventus ad urbem, petitum est a Virgilio, Aen. L. IV, v.* 221., *in quo Juppiter praecipit Mercurio quae ab illo Aeneae sint dicenda, ut ab Africa excedere maturet. Sed brevis oratio potior fuisset pro Supremi Numinis majestate, ut etiam ad v.* 486, *L. II. monuimus. Hoc loco coelestis Aligeri volatus refert perfectissime volatum Mercurii. Hic enim volans* apicem, et latera ardua cernit Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit, Atlantis *etc; ille adspicit latera* Soractis amati, Soractis *etc. hic consistit in eo monte; ille in altero: quam nimiam in imitando diligentiam*, putidam *jure optimo cum Tullio vocabis: quamquam in hoc totam imitandi rationem plerique positam esse sibi persuadeant. Videbis hic quoque Somnum ab eodem Aligero advocari, ut L. II. ad v.* 486.

704. Geminosque vocamus coelicolas *etc. Intellige Apostolos Petrum et Paulum, quos advocat semper Pontifex maximus in apostolicis literis sub finem.*

873 = 898. *Locum hunc vetustae superstitionis indiciis adspersum, et a christiano poeta prave translatum ex X. Aen.*, v. 219., *ubi Aeneae naviganti Nimpharum chorus occurit, libenter omnino expunxissem (quod ajunt Tuccam, et Varium fecisse aliquoties in Aeneida), ne pius lector indignaretur, quod Nymphae e flumine emineant in christiano poemate. Si enim* omnes dii gentium, daemonia (*Psal XCV.* 5.), *quomodo Nymphae d. Patriarchae incoepto possunt favere?*

ANNOTATIONES IN L. VIII.

v. 1 = 30. *Principium a VII. Aen. ingeniose petitum, atque in rem suam a Mauro conversum.*

31 = 142. *Describit pestiferam luem, quae tunc temporis per Italiam, et praecipue per Latium grassata est: quam descriptionem si comparabis cum illa quam habet elegantissimus Boccatius, videbis, morbi naturam non admodum inter hanc et illam differre. Sed multa hic Maurus congessit ex animalium peste, quae est in III. Georg.*, v. 478., *omnibus notissima; aliqua etiam ex III. Aen.*, v. 135. *De hac vero pestilentia, quod sciam, non meminerunt historici.*

181 = 89. *Locus simillimus VIII. Aen.*, v. 34 = 359. ; *sed felicissime in christianum argumentum traductus.*

197, *Quis fuerit hic vates Panthiades, qui solitariam vitam in Saxo Rubro montis S... sanctissime agitabat, nos fatemur plane i-*

gnorare, nec potuisse usquam invenire: nisi forte dixeris, Maurum hoc nomine significare voluisse Fratem Silvestrum, cujus multae narrantur mirae visiones, et eum aliquamdiu in monte supra Asisium jugiter orationi vacasse, atque a Francisco, propter singularem sanctimoniae famam, duobus ex sociis ad illum missis, de divina voluntate erga se exploranda consultum fuisse, memorat d. Bonaventura, C. XII.

Totus hic liber episodium continet, in quo tamen Francisci poeta non obliviscitur. Nam Vates in visu audit ab Unigena et illum memorari, orantem, ut Deus a mortalibus dirum averteret morbum, et postea in peplo ejus quoque imago conspicitur. Quamquam, ut dicam quod sentio, quum hic opportuna occasio se offerret ostendendi, qua Franciscus charitate in Deum, atque in homines flagraret (nam saepissime elephantiasi praesertim affectis, quae pestis illis temporibus erat communis, opera et solatium praebuerat), nollem nunc Franciscum ad coelum supplices tantummodo manus tendentem videre.

400 = 561. Placet haec pepli fictio, quam ex Virgilio aptissime in rem nostram translatam judicamus, ut videre est Aen. I. 483=5, et XI. 477. Fortasse Maurus, per temporis anticipationem, vestem aliquam describit, quae suo aevo vel Asisii, vel alibi fuerat acu picturata. Hujusmodi vestes, et matronarum etiam pompae, ex vetusto christicolarum more, maxime in sanctissimae Deiparae honorem jure optimo fieri consueverunt, et a christiano poeta commodissime describuntur. Matrum orationem (557 = 561.) egregie imitatam vi-

debis ex illa, quam Latiae matres habent apud Virgilium, Aen. XI. 483 ; *cujus breviloquentiam egregie imitatus est Tassus (G. L. C. XI. st.* 30.).

460. Ostendens Cisseida canis. *Nempe aequaeva Hecubae, Priami uxori, quae filia Cissei.*

665. *Hic quem Maurus vocat* Lyaenon, *est B.* **Leo**, *comes divi Francisci, eique acceptissimus ; cujus etiam vitam perscripsit una cum Rufino, et Angelo, sociis B. Patriarchae, quae communiter appellatur* Legenda trium sociorum, *a nobis saepius memorata.*

742. *usque ad finem. Orationem Divi Francisci Aretii habitam in templo majori, cum annua vota dd. Filippo et Jacobo Apostolis die eorum natali solvebantur, non a poeta prorsus confictam arbitramur, quum constet ex historia, illum plerasque Italiae regiones, et praecipue Hetruriam saepius peragrasse, atque salutaria virtutis monita quacumque disseminasse ; quod, ut diximus, suae conversionis initio, epistolis ad universos Christi fideles datis, jam fecerat.*

ANNOTATIONES IN L. IX.

24 = 420. *Agit de conversione Orandi Comitis, quam noster Aretii accidisse narrat. Multa hic videbis quae in historicis non invenies, quippe efficta a poeta non sine venustate, ac poetica probabilitate. Nec displicet tam multis verbis produci hanc narrationem de Orando, cui cum Francisco tanta necessitudo intercessit ab eo tempore, quo efficacissima ejus oratione permotus, totum se vitae pientissimae dedit; qui Franciscum Lavernae monte donavit ; eique humiles casas in illo extruendas curavit, in ubi majori ad-*

miratione digna Francisco evenerunt.

252 = 268. *Quae hisce versibus includitur sententia, deducta est manifesto, sed fusius expressa, ab illis Aligherii (Purg. C. XIV, v.* 148.)*:*

Chiamavi il Cielo, e intorno vi si gira,
Mostrandovi le sue bellezze eterne:
E l' occhio vostro pure a terra mira?
Onde vi batte chi tutto discerne.

367 = 70. *Hic poeta se ipse per Franciscum significat, et laudat: quod fecisse sub aliorum persona Virgilium, et Aligherium, nemo profecto mirabitur.*

434 = 39. *Noctis descriptio ab adiunctis, ut Rhetores dicunt, et omnino petita ab ea quam habet Virgilius absolutissimam, Aen. IV., v.* 522 = 32. *Sed quod amoenissimam illam descriptionem gratiorem facit, nempe rerum oppositio, propterea quod, dum universus terrarum orbis quiescit, una Dido curarum fluctibus aestuat, hic non adeo lectoris mentem percellit. Vocabulum autem* gressigerum, *quod poeta a* gressus *et* gero *de suo capite protulit, cum ei Virgilius pulcherrimam vocem* quadrupedum *praeberet, improbare, ut caetera hujusmodi, debemus; quamvis illo Maurus et omnis generis animalia, et homines simul complecteretur.*

448 =474. *Describit visum, quo dormienti Francisco, et longum iter cogitanti, apparet Sanctissima Deipara, jubetque illum redire ad Subasum, eoque advocare universi coetus comitia. Qua fictione, opportune admodum inducta, praeparatur lector artificiose ad ea, quae poeta proximo libro narraturus est.*

585 =*ad finem. Pars libri hujusce plura habet quae*

quae poetica admodum, atque poematis scopo consentanea nobis videntur: apparitio nempe d. Michaëlis, quum sese Franciscus ad ejus templum in Gargano monte exstructum, omnitanque celeberrimum, devoti animi ergo, sese conferebat; et visio Crucis in eo delubro coelo delapsae, ex qua impendentia fata Franciscus portendit.

Sipontum advenienti Francisco occurrit ad urbis portam Euphrosius quidam, illum videndi percupidus, qui advenas in suas aedes perducit, oratque postea Franciscum, ut postero mane, qui dies erat natalis Virginis Deiparae, verba in ejus delubro ad populum haberet, et huic salutares monitus daret. De Euphrosio nihil in historicis invenimus; sed hujuscemodi res peregrinanti Francisco saepissime occurrisse conspeximus. Orationem autem (a v. 886. *usque ad.* 978.) *effictam a poeta ex verisimili, ut alias monuimus, atque ad eum finem, quem sibi divina Providentia in eligendo Francisco proposuerat, ut nempe Christicolas ad virtutis amorem revocaret, nemo non videat.*

707. Auspicibus Deis. *Nollem hanc, et alias hujuscemodi, quae passim occurrunt, locutiones, veteris superstitionis indicia, conjectas in carmen christianum, a quibus Maurus ipse se abhorrere profitebatur.*

750. Sypus, *vel* Sipus, *saepius* Sipontum, *urbs Apuliae Dauniae, quae saeculo eodem excisa fuit; sed a Manfredio rege, Friderici II. notho, apud eandem extructa fuit, quem dicta a fundatore Manfredonia, vel novum Sipontum.*

850 Amor iniquus. Iniquus *pro maximo, et in bonam partem acceptum, latinum non puto;*

Virgilius iniquam *dixit Junonem (Aen. VIII. v.* 292.*), et Palladem* non aequam *(I. v.* 483.*; quae vox idem sonat ac altera, minus tamen quam* injustam , *et nos italice interpretari possumus* indiscreta , *sed semper in malam significationem.*

ANNOTATIONES AD L. X.

Hic liber partim continet Francisci orationes vel ad suos, quos invisit, vel ad populos, quos inter coelestis vitae praecepta disseminabat; partim enumerationem eorum qui Asisium ad comitia convenerunt. De Tancredio, quem primum in Siciliam coetum indigorum intulisse Maurus affirmat, eique aucto quamplurimis sociis praefuisse, cum eo Franciscus advectus est, nihil aliud inveni, nisi eum a d. Patriarcha inter suos adscriptum fuisse. Sed Franciscum, ut populos divinis praeceptis imbueret, peragrasse Dauniam, Apuliam, Brutium, Campaniam , atque in Siciliam ad suos transmisisse, historicae veritati consentit.

Quod autem pertinet ad haec universi Franciscalis coetus comitia , quae materiam et proximo praebent libro , si lector quaerat quo tempore habita sint , respondere non non dubitamus , nullum his certum tempus posse constitui : plura enim, more suo , Maurus in hunc locum congessit , quae ad multa spectant comitia. Et revera si numerum expendas eorum , qui non modo ex Italia ; sed etiam ex Gallia , Hispania , et Lusitania convenere, videntur haec fuisse comitia habita anno MCCXIX., quibus sodalium quinque millia, et amplius adfuisse dicuntur,

et vulgo nuncupantur Capitolo delle Stuore; *quod confirmare poeta videtur postremis hujusce libri verbis = et juncea tecta silescunt, et v.* 25 = 28. *L. XII. Quem tamen numerum excedere quam longissime veritatem, invitis veterum historicorum auctoritatibus, evincit, mea sententia cl. Papinius (T. I. p.* 185.). *Primis tantummodo Franciscalis sodalitii annis, cum pauca numerabantur coenobia, omnes ad Subasum, et bis singulis annis Fratres coibant: at postquam in provincias ordo distributus est (quarum in Italia jam A. MCCXIX. octo numerabantur, hisque paulo post quatuor ultra montes et maria adjectae sunt) ut pauci sodales ex quaque provincia ad concilium mitterentur, legibus fuit constitutum. Hic tamen Maurus omnes pene ex omnibus provinciis sodales longo ordine gradientes convenisse narrat Asisium; quod rei veritati omnino repugnat. Nominat etiam proximo libro Jolliam, scilicet Fratrem Eliam, quem Franciscus in suum locum suffecit, quod A.* 1222. *contigisse demonstrant Papinius, et Affò, quum vita functus fuisset Petrus Cattanius, qui Francisci gesserat vicem. Sed quamvis alteri vigiliam suam tradidisset Franciscus, seque Generalatu abdicasset, nihilo minus utrique ejus Vicarii habiti sunt, vivente Francisco. Et revera Elias, A.* 1232., *coetui regundo praepositus est; et tertius a Francisco, nempe post Antonium Parentium, Minister Generalis adnumeratur. Pleraque tamen eorum quae a Mauro memorantur, pertinent ad comitia A.* 1223. ;*sed poetica, ex more, utens licentia, quod jam in legibus quas pluries Franciscus suis dederat ef-*

fecit (Vide 1. ann. L. VI.), hic de comitiis agens renovavit.

Hanc alteram partem refertam veteris geographiae eruditione conspicies, et manifestam, Virgilii imitationem, Aen. VII. v. 641., et X v. 163., in quibus Romanus vates agmina enumerat, eorumque duces qui vel pro Latinis vel pro Trojanis ex universa Italia convenerunt; quam imitationem, si majorem quam coeterae omnes a poeta laborem expressisse dixeris, a veritate non aberrabis; sed coeteris esse minus felicem, descriptionemque rei militaris, ad rem religiosam transductam, huic nihil dignitatis addidisse, immo gravitatis et ponderis multum detraxisse, haud falso quidem judicabis.

122. Zanclaei monstri. *Aetnam intellige, quae non longe abest a Messana, olim dicta* Zancle, *quam propterea Maurus appellat, v.* 132. Urbem Zanclaeam, *ut Virgilius pro Troja dixit* Urbem Trojanam, *Aen. IV.* 342.

201 Stellante polo. *Verbum* stello, as, *a quo est participium praesens* stellans, *activa significatione a priscis Latinis, non neutra, ut hic, usurpatur; et propterea, nulla habita ratione, improbamus.*

516 = 18. *Hic vides primo* auratam, *deinde* aureus, *et statim* aurato, auricomi, *et proxime* auricomos; *quam verborum traductionem diligenter vitabis, nisi pueriliter ingeniosum te velis praebere.*

860 = 65. *Adverte pulchram Franciscalium comitum habitus descriptionem.* Endromidas fluentes *appellat Maurus crassas tunicas, quibus Minores induuntur;* endromis *enim, qua voce utitur Juvenalis, est vestis hirsuta, villis longioribus.*

910 = 941. Virgo Bethana, *est B. Maria Magdalene, domo Bethania, quae Massiliam translata, ibi diu vixisse, et sanctissimam mortem obiisse dicitur; quare illic praecipue colitur religiosissime Hinc est, quod Mauri\ illius provinciae socios commemorans, digreditur in laudes B. Virginis, eique hymnum concinit, quo virginis laudes elegantibus sane versibus celebrantur. Sed quod illam dicat, ut de Baccho Horatius, immanem draconem manu mulcentem in vincula conjecisse, hujusmodi commentum in rem christianam apte cadere nobis haud videtur.*

989. Tartessiaque arva. Tartessus *est urbs Hispaniae in ora Herculei freti, vulgo* Tariffa, *unde* Tartessia littora *apud Ovidium, Met. L. V.* Tartassium *autem, unde* Tartassius (Tartassiaque *legitur in editione Fulginati*) *est urbs Galliae in Vasconia, vulgo dicta* Tartas. *Poetam loqui de prima id nobis indicio est, quod Herculeam Calpem, a qua non longe distat* Tartessus, *jam nominavit; et hic de Iberica provincia, non de Gallica sermo est*

ANNOTATIONES IN L. XI.

Totus hic liber agit de comitiis, quorum coitionem in superiori libro narraverat. Nunc quae in iis gesta sunt, pluribus verbis commemorat, partem ab historia petens, partem de suo capite comminiscens.

1 = 8. *Periodus ex VIII. Aen., v. 1 = 6., translata est, quoad conformationem.*

91 = 102. *Hymnus in honorem Divini Reparatoris, quem aliis omnino versibus et sententiis hic repetitum, non improbabis.*

138 = 9. Jamque aethera tantum Intrepidi, obnixique

adeo perflatis anhelo Pectore. Perflare *Maurus hic usurpat metaphorice, nullo veterum exemplo; namque apud illos semper adhibetur vel pro* flare ubique, *vel pro* valde flare. *Hic sensus est: nihil aliud nisi coelestia, mente vel corde agitatis. Adfinem huic locutionem invenies, v.* 428.: et adhuc nos tristis inertes Torpor habet? nec tanta animis afflamus anhelis Munera? *Hoc est ab illo Virgilii*: et me saevus equis oriens afflavit anhelis; *Aen. V.* 739., *ubi tamen* afflare *propriam habet significationem.*

180 = 203. *Alter hymnus, sed praecativus, in Divini Spiritus laudem, vel potius paraphrasis ejus hymni quem canit Ecclesia, quique incipit:* Veni, Creator Spiritus.

225 *et* 230. *Intellige primo loco coetus monachorum, qui a primis Ecclesiae saeculis, secundo coetus religiosorum hominum, qui recentissime fuerant instituti. De his vide Ann. VIII. in Aligherii hymnum (v.* Ma regalmente ec.*).*

227 =8. Ministerium tenui cum nomine magnum. *Ludit in nomine, quo dictus est provinciae, vel coetui universo praepositus, diducto a* minus, *ne ille videlicet Christianae humilitatis oblivisceretur, ex illis Evangelii verbis:* qui prior est, fiat sicut minister.

384 =7. Supremum Heroa . . . comitumque sequentem Undenum aciem. *Intellige Apostolum Petrum cum undecim sociis, qui primum Evangelicam paupertatem secuti sunt.*

427 = 29. *Sententiam videas optime expressam ex illo Virgilii, Aen. VI., v.* 806: Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis? *Quam etiam noster Aligherius, sed ut maximum vatem decet, ita transtulit:*

Vedi se far si dee l' uomo eccellente,
Sì ch' altra vita la prima relinqua. *Par. IX.* 42.

523. Namque etsi, etc. usque ad v. 537. *Eleganter profecto transfert poeta ad vivendi rationem quam incoeperant d. Francisci sodales, id quod ait Virgilius, agricolarum vitam commendans (Georg. L. II. a 461. ad 471): ex quo loco, ut initio hujus libri, et periodi formam Maurus perbelle imitatus est; quod raro ferme accidit, cum aliorum insistimus vestigia; et tamen, quod puerile admodum est, in hac tantummodo re communiter Rethores classicorum imitationem constituunt.*

539 = 557. *Iterum poeta laudes concinit paupertatis, quod fecit et L. VI.; sed versibus 547 = 9. eamdem repetit sententiam, quam nos ex Aligherio deductam judicavimus.* Attamen *quod toties Franciscous suis paupertatem praecipiat, mirandum non est, quum ejus, ut inquit B. Thoma de Celano*, sese maritum vocaret, atque hanc filiis suis diceret perfectionis viam, hanc aeternarum divitiarum pignus, et harram (*Vita Altera, pag.* 174., *Cap.* De paupertate).

686. Et pandis taurorum lancibus exta Tosta subingerere. *Vocabulum* subingerere, *ex* sub *et* ingero *usurpatur a Mauro, nescio quo exemplo; nam Festus ex Passeratii observatione, utitur quidem ea voce, sed alio prorsus sensu. At hujusmodi convivium graphice a poeta describitur, et poetico mirabili adornatur. Si rei descriptionem nullo apparatu factam, et nihilominus suavissimam legere velis, adi libellum, cui titulus:* Fioretti di S. Francesco, *C. XVIII.*

1 = 12. *Iterum poeta Famam inducit, nec tamen improbamus, quamvis eam supra descripserit, L. II. v. 477 = 85. Hic etenim poetice narrat, Pontificem Maximum certiorem factum de mirabilibus rebus, quae in coetus Subasaei comitiis evenerant; hoc nuncio permotum, et hominum inopiam miseratum, artificum manum misisse Asisium, quae delubrum ingens Coelorum Reginae, atque delubro proxima tecta ad excipiendos Francisci sodales, quam celerrime extrueret. Sed animadvertendum, haec per prolepsim narrari; namque ad Gregorium IX. P. M., qui antea Cardinalis Ostiensis dicebatur, ejusque patrocinio utebatur praecipue Franciscus, pertinent haec jussa; tantaeque rei procuratio Frati Eliae commissa fuit.*

30 = 35. *Intellige aedem B. Virginis, quae nuncupatur* Portiuncula, *apud quam Minores primo habitarunt; quamque Deiparae prae aliis omnibus ei dicatis templis carissimam esse S. Patriarcha divinitus cognoverat.*

126 = 34. *Imitatur eleganter Virgilium, qui caesas arbores ad extruendam Miseno pyram describit, Aen. VI.* 179=83. *Sed noster opportune rem ab arboribus ad saxa, lapidesque traduxit.*

389 = 90. *Sententiam expressit ex Lucano, qui de Magni Pompei corpore in Aegyptio litore jacenti ait:* coelo tegitur qui non habet urnam; *quae sententia, si eam expenderis, nihil magni praesefert, ut primo adspectu videtur: nam etiam vilissimorum brutorum insepulta cadavera coelo teguntur.*

398 = 622. *Haec non brevis hujusce libri pars pulchram exhibet Virgilii imitationem, cujus celeberrimum est episodium, Lib. VIII. Aen.* 185=275.; *quo inter sacra quae in Herculis honorem faciebat, Evander rex hospiti Aeneae memorat, quomodo Alcides latronem Cacum necaverit. Sic Orandus Comes (nempe Orlandus Catanius, Clusii Comes, Eques splendidissimus) prosecutus Franciscum, ejusque socium Leonem, Lavernam petentes (cui monti nomen dedit* Laverna, *quae a coecis idolorum cultoribus ut latronum Dea colebatur, sed vulgo dicitur* Alvernia, *vel* La Verna*) commonstrat Francisco rupem, in cujus antro habitabat insignis latro de gente Sarmatica, qui propter immania scelera, patria profugus, eo secesserat; inde noctu in proximos agros impetum faciebat, nefariaque crimina perpetrabat; qui tandem, quum illuc venatum cum aliis multis ivisset Guidus quidam ex patritia Aretinorum nobilitate, ab ejus canibus horrendum in morem discerptus est. In hac descriptione nihil me offendit; nisi longior canum enumeratio, qui latronem adgrediuntur.*

481. Visceribus solitum humanis, et sanguine vesci. *Est ab illo Virgilii, Aen. III.* 622., *ubi ait de Poliphemo:* Visceribus miserorum, et sanguine vescitur atro. *Complures hujusmodi versus, hoc maxime libro, atque etiam sententias a Virgilio petitas, passim reperies.*

710 = 738. *Die annuo redeunte, quo Crucis signum impensius Christicolae venerantur, sanctissimo hominum Reparatori hymnum concinit poeta, jam tertium; quem tamen huic loco idoneum arbitramur. Eo enim poeta lec-*

torem disponit ad illa , quae prae omnibus admiranda in postremo carmine de Francisco est narraturus ; videlicet Christi vulnera, quae illi in corpore jam jam divinitus erant infligenda. Placet ergo illo die , qui a coelicolis etiam celebratur, Virginem matrem precari Unigenam , ut , ex fatorum ordine , Subasaeum heroem in antro morantem quinque telis perfodiat ; placet Divinum Filium committere Aligero famulo , ut nunciet Francisco , rata jam fore quae Deipara ei praenunciaverat ; placet denique Jesum ipsum apparere Francisco , eumque monere quis illi hauriendus sit dolor, interius primo, mox etiam exterius: quibus mirandis optime lector praeparatur ad ultimum facinus , quo Francisci sanctimonia insignissime decoratur .

747 .... Laceroque in veste sub ostro Aurata increpitans. Lacerum , *epitheton* ostro *tributum* , *fortasse* sparsum , fluens *ostrum significat ; sed hoc sensu probum vocabulum non autumo.*

762. Ut vero ante patris conspectum, atque ora canentes Evasere acies . *Eleganter deductum ex illo Virgilii , Aen. II.*531*:* Ut tandem ante oculos evasit , et ora parentum.

814. Ostentiferi diei. *Vox ab* ostentum et fero, *nempe* ferens ostentum , *sed quam Ambrosius tantummodo inter sinceras voces adnumerat, Facciolatus, et Forcellinius ex latinarum numero extrudunt.*

ANNOTATIONES IN L. XIII.

Postremum Francisciados librum , de quo jure optimo adfirmatum est , continere epilogum pulcherrimarum virtutum quae in toto poe-

mate, sparsa hac illac, conspiciuntur, nos etiam prae ceteris ornatissimum judicamus; ac nedum poetam in extrema operis parte animo non defecisse, sed et altiores spiritus sustulisse. Quae miranda de Laverna monte memorat poeta, postquam hic Franciscus Christi vulnera in suo receperat corpore, quaeque illinc Asisium iter ingrediens divinitus fecit, ea non conficta a poeta, sed ab historia desumpta.

259 = 287. *Grati animi monumentum hic praebet Franciscus, qui Orandi Comitis in se, suorumque coetum promerita quamplurima commemorat; atque haec versibus olim ut mandentur exoptat: quo in loco Maurus artificiose iterum sub d. Patriarchae persona suum poema praenunciat. Felix est* applicatio *(ut eam Rhetores nuncupant) Virgiliani versus* 625. *IV. Aen:* Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Qui etc.*; quem Maurus, parva immutatione, sic protulit:* Exoriare aliquis nostris e coetibus olim, Orandae qui facta canas *etc. Quod si huic rei mentem adjicies, Franciscum et poesim adamasse, et hymnos nonnullos concinuisse, verisimillimum reperies quod Maurus effinxit. Versus etiam* 287. *est ab illo Virgilii: Et* nati natorum, et qui nascentur ab illis *(Aen. III.* 98).

319=24. *Pulcherrima similitudo, et pathos plena, aptissima ad rem exprimendam. Duo in hoc libro ex praecipuis Francisci miraculis commemorantur: cum nempe a monte Laverna jam infirmus, et morti proximus, ad Subasum revertebatur; alterum, quo hydropicus a medicis desperatus ad integram sui ... sanitatem ab ipso est revocatus, quod acci-*

dit prope Fanum d. Stephani ; quam urbem appellat poeta coronam aetheream , *quod nempe* stephanos , *greca vox , latine* coronam *significat , idque oppidum Italice vocatur* Pieve di S. Stefano , *ubi Franciscus ab Orando Comite amicissime , et religiosissime exceptus est (hujusce rei narrationem habes a v.* 327. *ad* 370 *): alterum quo , iter prosequens, puellam a daemonibus saevissime vexatam , precibus ad Deum fusis , liberavit , quod contigit non longe a Fano S. Sepulchri ; quod italice appellatur* Borgo S. Sepolcro. *Haec altera narratio producitur a v.* 376. *ad* 500. *Utraque autem elegantissima .*

402. Terricrepis facibus ; *et v.* 440. , fragores Terricrepos coeli. Terricrepus , *idest* cum terrore crepans , *epitheton fulminis , ut ait Forcellinius sed a sinceris procul amandanda , quae tantum a sequioris aevi scriptoribus usurpatur , eo tamen sensu , quem habet vox* terribilis, *ut hic etiam secundo loco adhibetur. Cur saltem primo non usurpavit aptissimam, pulcherrimamque Virgilii vocem* thuricremis *(Aen. VI. 553.) ?*

518. Turrita ab urbe. *Perusiam intellige.*

Iter facienti Francisco varios poeta tribuit sermones de rebus ad morum scientiam spectantibus , et convenienter admodum , ut ego sentio. Namque optime decebat , virum sanctissimum, quem Divina Providentia constituerat ut homines ad virtutis tramitem revocaret , verae virtutis effigiem propemodum effingeret , eam divinitus in hominum animis impressam esse, et a falsa sinceram virtutem segregandam edoceret. Nos in hujusce libri argumento ejusmodi sermonum synopsim descripsimus.

532. Et tamen hi cupiunt , gaudent, metuuntque , do-

lentque. *Versus ex Virgilio expressus. Aen. VI.* 733: Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque.

584. Achaemenio luxu. *Sic dictus ab Achaemene, quem Herodotus ait fuisse primum Persarum regem, a quo postea omnes reges usque ad Darium editi sunt. Horatius etiam, quum regem opulentissimum vellet nominare, dixit* divitem Achaemenem *(L. II. Od. XII. v. 26.).*

592. Adspicis immanem cassum? Cassus *adjective ab optimis latinis usurpatur cum nomine ablativi casus conjunctus, quippe qui oritur a* careo; *ita* lumine cassum *dixit Virgilius, Aen. II.* 85. *Sed hic* cassum *substantive sumitur, nullo veterum exemplo, qui hoc sensu* inane, vel vacuum *dicebant.*

833 = 34. *Non placet ob eam causam, quam supra adtulimus,* Parcarum *hic fieri mentionem, et postea, v.* 889 = 90., *ab eodem Francisco, ut imminentem hominibus mortem significaret, sic dici:* Stat ferrea Clotho Surdum opus intorquens, cogitque, trahitque morantes; *nec v.* 794=5: Parcas niveis pensis extrema Francisco legere stamina.

Felicissimus Francisci obitus, ejusque animae coelum ingredientis triumphus, carmini finem constituit: nihil enim reliqui est post praemium amplissimum, quo Deus O. M. optime de Christiana re meritum Patriarcham est muneratus. Verum hujus narrationis initium facit poeta a v. 683., *quo lectoris animus ad beatissimum d. Francisci exitum praeparatur. Idcirco a Mauro machina inducitur, quemadmodum in principio poematis: sed pleraque ad obitum Francisci pertinentia ex historia deprompta sunt, quamvis poetico ornatu depicta. At quod me-*

morat poeta, coelestis Aligeri monitu venisse ad Subasum matronam Romanam (quae Jacobe de Septem Soliis vulgo dicebatur), eamque, ut altera Magdalene, pretiosa unguenta ad Francisci funus adtulisse, haec veterum historicorum auctoritati haudquaquam innituntur; ex quibus tantum colligimus, fuisse pientissimam foeminam ex vetusta et primaria Romanorum nobilitate, Francisco acceptissimam; tertio ab illo constituto ordini, quemadmodum et Comes Orlandus, nomen dedisse; postremo vita sanctissime transacta, Beatorum Indigetum numerum auxisse.

842 = 910. *Sermo quem ultimum habet Franciscus ad suos, tempori, et personae apprime convenit; quia exsultat, ut par erat, de morte sibi imminente; solatur suos ob eam causam moestissimos, atque in lacrimas effusos; eisque paupertatem praecipue commendat: quae magna ex parte expressit auctor ab historia. Celanus enim, p. 268., haec habet:* Triumphum revera expectabat intrepidus, et consertis manibus justitiae complectebatur coronam. *Deinde eodem capite:* Fecit fratres omnes assistentes ibidem ad se vocari, et verbis consolatoriis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem; de patientia, et paupertate servanda sermonem protraxit, caeteris institutis sanctum Evangelium anteponens. *Caeterum Francisci invidenda hominibus mors adeo lectoribus animum explet, ut poeticis figmentis nihil indigere nobis videatur. Quod item ad libri finem ait de Francisci triumpho quem jamdiu lector expectabat ob ea, quae in coelis Aethernus Pater, et Filius Unigena invicem dixerant (a v. 697.*

ad 729.), *petitum est ex visis religiosorum fratrum post d. Patriarchae obitum, tam a Celano*, *p.* 270 = 1., *quam a Bonaventura*, *C. XIV.*, *memoratis. Atque utinam ut isthuc figmentum, sic alia in poemate sparsa historicae veritati niterentur, ex Horatii praecepto :* Ficta voluptatis causa sint proxima veris (*Poet. v.* 382.)! *Non aucupasset profecto Maurus a Virgilio, pluries quam opus fuerat, fictiones a re christiana remotissimas, quod aegre erit illum fecisse et in extrema hujus libri parte* (*v.* 981=994.), *ubi Francisci animam in limine vitae luctantem Christus a corporis vinculis solvit, quemadmodum Iris adstans supra caput Didonis, Aen. IV.* 693. *Quantum enim Francisci placidissimus exitus abesse debet ab ejus difficili obitu, quae violentas in sese manus injecerat!*

961 = 980. *Francisci funus describitur a Mauro ad exemplum illius, quod Miseno ducit cum Teucris Aeneas (L. VI. a v.* 212. *ad* 231*).* Corycii imbres *sunt crocus, sic dictus a monte Coryco in Cilicia, qui plurimum et optimum gignebat.* Cinyreidos guttas *intellige Myrrham, quae Cinyrae filia, in arborem ejus nomen referentem mutata est.* Cinyreis, dos, *dicitur a Mauro hic Myrrha, ut Hecuba a Virgilio* Cisseis, *idest filia Cissei, Aen. VII.* 320., *itidem a nostro memorata, L. VIII.* 460.

Quemadmodum initio voluminis diximus, post poematis annotamenta adjicimus B. Francisci laudes, quas in III. Aligherianae Comoediae parte canit sanctissimus Ecclesiae Doctor Thomas Aquinas, qui poetae coelos scandenti apparet in sole, ubi justa Florentini poetae commentum, ii divina visione fruuntur,

qui terras doctrinae splendore illustrarunt. Ne autem extranei lectores, in quorum manus fortasse hic veniet liber, hoc poetico munere careant omnino, dabimus hymnum Aligherii latinis versibus redditum a Carolo Aquinate, Societatis Jesu Sacerdote.

Fani 10. *Aprilis* 1833.
IMPRIMATUR
P. D. DEANGELIS VICARIUS GENERALIS

Fani 15. *Aprilis* 1833
IMPRIMATUR
Fr. JOSEPH MARCELLINI Gnus Min. Cnlium.
et Vic. S. Officii Fani.
VISTO
DEODATO ROSA Governatore Distrettuale di Fano

INNO

DI

DANTE ALIGHIERI

IN LAUDE DEL PATRIARCA

S. FRANCESCO D'ASSISI

COMMENTATO E RAGGUAGLIATO

COLLA

FRANCISCIADE DEL MAURO

DAL CANONICO

RAFFAELE FRANCOLINI

DA FANO

PROFESSORE D' ELOQUENZA NEL SEMINARIO DI SENIGALLIA

III

INNO

DI DANTE ALIGHIERI

IN LODE

DEL PATRIARCA S. FRANCESCO

D' ASSISI

(Vedi Divina Commedia. Par. C. XI, v. 28.)

V. 1. La providenza, che governa il mondo *V. N. I.*
Con quel consiglio, nel quale ogni aspetto
Creato è vinto pria che vada al fondo;
4. Però che andasse ver lo suo diletto
La sposa di colui, che ad alte grida
Disposò lei col sangue benedetto,
7. In se' sicura ed anche a lui più fida,
Duo principi ordinò in suo favore,
Che quinci e quindi le fosser per guida.
10. L' un fu tutto serafico in ardore, *V. N. II.*
L' altro per sapïenzia in terra fue
Di cherubica luce uno splendore.
13. Dell' un dirò, perocchè d' amendue
Si dice l' un pregiando, qual ch' uom prende,
Perchè ad un fine fur l' opere sue.
16. Intra Tupino, e l' acqua, che discende *V. N. III.*
Del colle eletto dal beato Ubaldo,
Fertile costa d' alto monte pende,

19. Onde Perugia sente freddo e caldo
Da Porta Sole, e dirietro le piange
Per greve giogo Nocera con Gualdo.
22. Di quella costa, là dov'ella frange
Più sua rattezza, nacque al mondo un sole,
Come fa questo talvolta, di Gange.
25. Però chi d'esso loco fa parole *V. N. IV.*
Non dica Ascesi, chè direbbe corto,
Ma Oriente, se proprio dir vuole.
28. Non era ancor molto lontan dall'orto, *V. N. V.*
Ch'e' cominciò a far sentir la terra
Della sua gran virtude alcun conforto.
31. Chè per tal donna giovinetto in guerra
Del padre corse, a cui, com'alla morte,
La porta del piacer nessun disserra:
34. E dinanzi alla sua spirital corte,
Et coram patre le si fece unito;
Poscia di dì in dì l'amò più forte.
37. Questa, privata del primo marito, *V. N. VI.*
Mille e cent'anni e più dispetta, e scura
Fino a costui si stette senza invito!
40. Nè valse udir che la trovò sicura
Con Amiclate al suon della sua voce
Colui, ch'a tutto il mondo fe' paura:
43. Nè valse esser costante, nè feroce;
Sì che dove Maria rimase giuso,
Ella con Cristo salse in su la croce.
46. Ma perch'io non proceda troppo chiuso,
Francesco e povertà per questi amanti
Prendi oramai nel mio parlar diffuso.
49. La lor concordia, e i lor lieti sembianti *V. N. VII.*
Amore e maraviglia, e dolce sguardo
Faceano esser cagion de' pensier santi;

52. Tanto che il venerabile Bernardo
Si scalzò prima, e dietro a tanta pace
Corse, e correndo gli parv' esser tardo.
55. O ignota ricchezza, o ben verace!
Scalzasi Egidio, e scalzasi Silvestro
Dietro allo sposo; sì la sposa piace.
58. Indi sen va quel padre e quel maestro *V. N. VIII.*
Con la sua donna, e con quella famiglia,
Che già legava l'umile capestro.
61. Nè gli gravò viltà di cuor le ciglia,
Per esser fi' di Pietro Bernardone,
Nè per parer dispetto a maraviglia;
64. Ma regalmente sua dura intenzione
Ad Innocenzio aperse, e da lui ebbe
Primo sigillo a sua religïone.
67. Poichè la gente poverella crebbe
Dietro a costui, la cui mirabil vita
Meglio in gloria del ciel si canterebbe;
70. Di seconda corona redimita
Fu per Onorio dall'eterno Spiro
La santa voglia d'esto archimandrita.
73. E poi che per la sete del martiro, *V. N. IX.*
Nella presenza del Soldan superba
Predicò Cristo, e gli altri che 'l seguiro;
76. E per trovare a conversione acerba
Troppo la gente, e per non stare indarno,
Reddissi al frutto dell'italica erba.
79. Nel crudo sasso intra Tevere, ed Arno
Da Cristo prese l' ultimo sigillo,
Che le sue membra du' anni portarno.
82. Quando a colui, ch' a tanto ben sortillo, *V. N. X.*
Piacque di trarlo suso alla mercede,
Ch' egli acquistò nel suo farsi pusillo;

85. Ai frati suoi, sì com' a giuste erede,
Raccomandò la sua donna più cara,
E comandò che l'amassero a fede:
88. E del suo grembo l'anima preclara
Muover si volle, tornando al suo regno,
Ed al suo corpo non volle altra bara.
91. Pensa oramai qual fu colui, che degno *V.N.XI.*
Collega fu a mantener la barca
Di Pietro in alto mar per dritto segno:
94. E questi fu il nostro patriarca:
Per che qual segue lui com' ei comanda,
Discerner puoi, che buona merce carca.

HYMNUS
EX ITALICA IN LATINAM LINGUAM
HEROICIS VERSIBUS CONVERSUS
A CAROLO AQUINATE
SOCIETATIS JESU PRESBYTERO
QUI TOTUM DANTIS POEMA LATINE REDDIDIT.

Provida consiliis (1) *mens Regnatoris Olympi,*
Quam sibi diffuso quaesivit sanguine sponsam,
Nimirum genus electum, domus utraquae Phoebi
Qua surgit, late regnans, pietatis amorem,
Et recti studium mansurum ut servet in aevum,
Heroes legit geminos ab origine rerum;
Qui fido incertum regerent moderamine: coetus
Aemulus aligeri fuit alter, Numinis ardens
Quem magis urit amor; coelestes alter Ephoebos
Exprimit, uberiora patent queis lumina mentis.
Alterius laudes nitar dum promere, laudes
Prosequar alterius; namque arridere Tonanti,
Et rectum vitae sociis ostendere callem,
Una duos aequo tenuit cura impigra voto.

(1) Versus, qui praecedit, clauditur adjectivo *profundis*, qui pertinet ad nomen consiliis, a quo incipit latina periodus; sed ille minime refert submississimam italici vatis imaginem, ut videre est in prima annotatione.

Suetus ubi duris colit arva laboribus Umber,
Mons amnes inter geminos nemorale cacumen
Nubibus assurgens infert: qua semita ducit
Mollior ad clivum, bene natam sustinet urbem,
Moenia quae notat ad solem Perusina ruentem.
Felix terra novo tribuit cunabula Soli,
Gangis ut exoritur nitidis, quem cernimus, undis... (1)
Ille salutares primo diffudit ab ortu
Virtutum radios, durum expugnare parentem
Magnanimus, votis adversum ardentibus, almae
Dum sobolem egregiam sociali foedere pugnat
Fungi heroinae, fatui vehementius ipsa
Mortales quam morte timent. Desponsa tenaci
Illa tamen demum nexu, cum rite sacerdos
Adstaret, vitae testis, custosque sacrorum
Antistes: Sponsae simul et crescentibus annis
Crevit amor; dulces mors unica solvit amantes.
Praesidio sat tuta suo licet illa Gradivi
Riserit arma; leves placido cum pectore casses,
Caesarea pulsante manu, sarciret Amyclas;
Et quamvis firmas celsa ad molimina vires
Spondeat, ausa crucem conscendere, nudaque Sponso
Sidereo jungi; lacrimis cum tristis amaris,
Haereret defixa solo moestissima Mater;
Tantis fulta tamen meritis, post funera prolis
Divinae viduo jacuit male nota recessu,
Assisias cupidis donec complexibus illam
Stringeret, ingenui testatus cordis amores.

(1) Quare hic tres versus italicos Aquinas vertere omiserit, vide ann. IV, v. 23-27. Liceat nobis hunc locum supplere:

Ergo qui de illa loquitur, totam exprimat ut rem,
Non proprie Assisium, ast orientem nomine dicat.

Ne te suspensum ambiguo sermone fatigem,
Quem dixi sponsum, Franciscum concipe, sponsae
Nomine paupertas tibi sed generosa recurrat.
Mira fides, blandi obtutus, atque ardor amoris
Mutuus, et laeto ridens concordia vultu,
Allexere novos sacra ad vexilla sodales.
Hinc pede nudato, stimulis ardentibus actus
Convolat angustas primum Bernardus in aedes,
Aegidiusque simul, simul et Silvester, et ingens
Copia Christiadum vestit se cannabe crassa,
Et nudas duro suffulcit robore plantas.
O veras; notasque parum mortalibus aegris
Paupertatis opes, non intellectaque dona!
Non proavis ille obscuram, et sine nomine gentem
Dissimulans, vilique habitu despectus, ad undas,
Tybri, tuas tendit, sociis stipatus, amictus
Quos rudis, et torti praecingunt vincula funis.
Ad Vaticani accessit cum culmina, Pastor
Romulidum, flectit qui Relligionis habenas,
Flamine divino impulsus, quas vertice leges
Procumbens prono attulerat, firmasque, ratasque
Esse dedit. Sacrum sed cum, crescentibus annis,
In latas magis usque plagas soboles ederet agmen,
Os solum coeleste sonans quod laudibus ornet
Commeritis, olli Sacrorum tradita cura,
Christiadumque gregis custodia, munere summi
Pastoris, cui fas reserare, et claudere coelum.
Ille etiam fuso testari sanguine verum
Relligionis iter flagrans, non territus oras
Barbaricas adiit: sed non reparabile nactus
Errorum grassans virus, doctaque medentis
Vulnera non superanda manu, bona semina glebis
Ne frustra indomitis jaceret, remeavit in oras

Ausonias, curas non pascere passus inanes.
Alverni demum surgunt immania saxa
Qua ripas, Tiberine, tuas, Arnique minores
Inter aquas, divinae excepit vulnera prolis,
Conspicuis impressa notis; servavit amoris
Pignoraque aetherei, nostros sublatus in orbes
Donec digna tulit demissae praemia vitae.
Progeniem affatus sociam, jam morte propinqua,
Ut colerent inopem sincero pectore cultum,
Commonuit; celsumque redux praedives in axem,
Injectae gelidos artus succedere terrae
Mandavit, nullo pompae exequialis honore.
Hinc ducis egregii liceat deprendere laudes,
Olli qui socius ventosa per aequora cymbam
Christiadum rexit, fidam defixus in Arcton.
Hesperiae hos animos gessit lux inclyta gentis,
Et nostri Ductor coetus Gusmanius Heros.
Qui faustam tanto inscendit Ductore carinam,
Quoque vocat sequitur, fluxae non foenora mercis,
Sed vehit haud umquam periturae pondera gazae.

ANNOTAZIONI SULL' INNO.

Prima di venire alla sposizione dell' Inno, crediamo di dover preoccupare alcune inchieste, che intorno al nostro proponimento far ci si possono; le quali siccome a tre per nostro avviso riduconsi, così partitamnte dichiareremo 1.° perchè a così lungo poema latino abbiam giudicato ben fatto di aggiungere questo breve poema italiano; 2.° per qual motivo a questi versi tolti dall' undecimo del Paradiso si è per noi dato il titolo d' Inno; 3.° qual metodo abbiam seguito sì nelle altrui chiose, sì nelle nostre.

Quanto alla prima, due ragioni principalmente ci hanno recato a questo consiglio. Imperciocchè abbiamo stimato dover esser utile, e dilettevole insieme a quelli che amano e coltivano le buone lettere, e in ispezialtà la sacra poesia il vedere, di che guisa un medesimo argomento abbia fornito all' uno un epico poema; all' altro un episodio della sua epopea: come il primo lo abbia amplamente trattato, valendosi delle Virgiliane finzioni, e tutta compresa la vita del santo Patriarca; l' altro per l' opposito, che da Virgilio ha tolto il suo bello stile, restringa in picciolo campo la vasta materia, seguitando passo passo l' istoria in quello stesso genere di poesia, dove l' immaginazione più signoreggia; e nientedimeno dimostrisi quel valentissimo poeta ch' egli è. Ma l' incarico, che, a fine di soddisfare alle oneste preghiere dei nostri amorevoli, ci siamo di buona voglia tolto, d' illustrare, per quanto era da noi, la Francisciade, come ci ha cresciuta l' ammirazione pel sovrano italico poeta, il quale abbiam veduto

avere dalla istorica verità saputo trarre le sue maggiori bellezze; così ci ha fatto conoscere, che alcuni suoi concetti ed espressioni nè state erano per gli antichi, nè pei moderni spositori ben chiarite, e che perciò le avevano anzi alcuni fuor di ragion ripigliate. Il perchè coll' aiuto delle vecchie cronache, le quali per cagione della Franciscìade abbiamo dovuto cercare, entrati siamo nella speranza di poter per questa almeno, sebbene picciolissima parte, arrecare alcun lume alla Divina Commedia; la qual cosa non è meraviglia che non abbiano potuto compiutamente fare quei valentuomini, che tutto quanto il vastissimo poema dell' Alighieri impresero a commentare.

Ma che abbiam dato il titolo d' Inno a questi pochi versi della Dantesca Epopea, non dovrà riuscir nuovo a chi ponga mente, che questa picciola parte distaccata dal tutto costituisce dipersè un perfetto poema; e che l' Epopea delle poetiche forme più ampla, e più dignitosa, in sè tutte le racchiude, come quella che le altre, eccetto la lirica, ha generate. Ma oltrechè inni propriamente si appellano le lodi di Dio, e di quelli, che a lui sono singolarmente diletti, (il che bastar dovrebbe, perchè questi versi, da sè considerati, sieno intitolati Inno) Dante ha veramente introdotti nel suo epico poema più inni, seguitando in parte Virgilio, il quale uno ne ha principalmente posto nell' VIII dell' Eneida (v. 285-302.) in lode di Ercole; di che abbiam toccato nelle note alla Franciscìade, (L. VI, ann. v. 463) dove se ne vede la imitazione. E avvegnachè le lodi di Virgilio in pochi versi si chiudano, e parte abbia faccia di narrazione, parte sia posta nelle altrui labbra; e però i Retori siffatta maniera comprendano sotto una figura, per essi appellata Metabole, ossia Passaggio da persona a persona; (Vedi Longino Sublime sez. V, e XXVII) nondimeno dai più savii comentatori si dicon Inno. E qui è da ricordare, che due principali specie d' inni si assegnano dai maestri delle poetiche cose, breve l' una, e che accenna soltanto i fatti più insigni; e questa è la forma eletta massimamente da Orazio tra i profani, dai santi Gregorio e Ambrogio tra i sacri poeti; l' altra comprende un più vasto campo, a modo di panegirico; e di questa infra i gentili poeti tiene il principato Callimaco, infra i cristiani sovra gli altri antichi noi riponiamo Prudenzio e san Paolino. Il nostro Alighieri parecchi inni di questa foggia ha con bell' artificio

innestati nella sua Epopea, dei quali uno si è questo, che ora togliamo a chiosare; nè cede punto in bellezza agli altri che s'incontrano nella cantica del Paradiso, quali sono le magnifiche lodi dell'aquila C. VI., l'elogio del Patriarca S. Domenico C. XII, e in fine quello, onde ha principio l'ultimo Canto, col quale si commenda, e si prega la Vergine Madre, e che ha fornito al Petrarca l'esemplare di quella bellissima canzone laudativa e precativa ad un tempo, che comincia *Vergine bella*. Così da questo lato eziandio si aggiunge pregio di novità alla Dantesca Epopea, la quale se il dotto Mazzoni non ha potuto con due grossi volumi provare essere simigliante ai poemi di Omero e di Virgilio, dai quali in quanto alla materia, alla forma, e al moltiplice fine al tutto si dilunga, neppure al cavalier Monti è venuto fatto di persuadere, la Divina Commedia, perchè vocaboli tecnici contenga, esser poema didascalico (Proposta vol. III, par. II, pag. LXXXII). E nel vero, da mille luoghi di quella si raccoglie patentemente aver lui inteso di comporre un epico carme, e sulla più malagevole e vasta materia che altro poeta si proponesse, e con magnifico e altissimo stile; al qual lavoro quasi soprumano erasi egli venuto preparando dapprima colle Canzoni, che nella Vita Novella scrisse in commendazione di Beatrice, foggiandola come donna di virtù, e fugatrice dei vizii; delle quali canzoni egli cita nel Pg. XXIV. 51 la prima, *Donna che avete intelletto d'Amore* per ricordare il suo *nuovo stile* (il quale è una cosa col *bello stile* del I. canto), o vogliam dire il vero modo di poetare da esso trovato per primo. Ma più particolarmente alla composizion del poema si apparecchiò colle canzoni allegoriche, dove, infingendo di lodare le bellezze di Beatrice, egli commenda veracemente la Filosofia, e due ne rimembra nella Commedia (Pg. II, 112; Par. VIII, 37).

E venendo infine alle chiose, noi abbiamo in prima poste, al modo che tengono i chiosatori de' Latini Classici, le scelte annotazioni de' più famosi tra gli antichi spositori ed i moderni, dove elli dirittamente hanno ragionato; e a queste aggiunte abbiamo amplissime illustrazioni nostre, alcune grammaticali, le più istoriche o critiche, colle quali a nostro potere ci siamo studiati di tutte chiarire le cose che all'inno pertengono; per modo che, se non compiuto e perfetto, chè arditi non siamo di tanto sperare, almeno diligente comento s'abbiano gli studiosi

del sovrano poeta: sul quale questa oggimai è la ferma e costante sentenza dei savii, che chi attentamente non istudia nel divino poema, indarno aspira alla lode di gentile e reputato scrittore.

E perchè, in fatto di letterarie composizioni, il comparare insieme le cose è giudicato di molta utilità per gli studiosi; abbiamo stimato, non dover esser fuor di proposito il riscontrare a quando a quando il poema coll' inno, acciocchè meglio si vegga qual cosa manchi nell' uno, qual sia da commendare nell' altro. Per questa cagione, similmente offertoci il destro dalla materia, abbiamo a quando a quando alcuna cosa toccata dei principali punti alla Dantesca Commedia pertinenti, massimamente riguardo ai primi due canti; i quali si può dire che ne porgano la chiave per tutto quasi disvelare l'intendimento della Commedia; la quale ancora *visione*, e *sacro poema*, non senza perchè, si appella dall'autor suo. Ma questi nostri pensamenti, ovvero opinioni, che domandano una più ampia e separata trattatazione, forniranno, se a Dio sarà in piacere, l'argomento a tre ragionamenti, 1.° sopra la moltiplice allegoria della Dantesca Commedia, e in particolar modo sopra quella, che si contiene nel Prologo, e nella Protasi di essa; 2.° sopra la natura del poema di Dante; 3.° intorno al bello e nuovo stile dell' Alighieri. La qual fatica intendiamo d' imprendere a pro di quella eletta gioventù, che natura ha disposta a questi studii gentili, e al cui ammaestramento abbiamo finora spesi gli anni migliori, acciocchè ella abbia come una introduzione allo studio di questo poeta; a bene intendere il quale i più ampli comenti eziandio si trovano scarsi. Ai letterati, che molti e di grande dottrina e rinomanza hanno con amore al sommo poeta gli studi rivolti, in luogo di presumere, che per le nostre osservazioni si possa alcun novello lume apportare, indirizziamo calda e leale preghiera, perchè le nostre opinioni col loro sapiente giudicio pesando, se ragionevoli e sode le troveranno, c' incuorino alla non agevole impresa; o, dove torte e malfondate le stimino, dalla inutile e lunga fatica ci distolgano

N.B. I Comentatori antichi e moderni, de' quali abbiamo poste le chiose, o intere, o compendiate, così per dichiarare il testo, come per confutare le loro opinioni, sono i seguenti, cronologicamente annoverati:

1. L'Ottimo, cioè l'ottimo Comento della D. C., Testo inedito ec. stampato la prima volta in Pisa 1829.

2. Benvenuto de' Rambaldi Imolese: del cui comento non abbiamo in istampa se non quello che ne ha dato il Muratori nelle Antichità Italiche.

3. Carlo d'Aquino della C. di G., che in fine di ogni cantica traslatata in esametri ha brevi annotazioni Napoli 1728.

4. Pompeo Venturi della C. di G.

5. Il P. Lombardi M. C. Roma. Fulgoni 1791.

6. Gaetano Poggiali, in Livorno 1807-1813.

7. Il prof. Biagioli. Il suo Comento uscì la prima volta in Parigi 1819.

8. Quirico Viviani editore del Codice Bartoliniano della D. C. Udine 1823.

9. Antonio Cesari P. D. O. Bellezze della Commedia ec. Verona 1826.

10. Paolo Costa. La D. C. con brevi note ec. Bologna 1826.

N. I. v. 1-6. Sentenza sublimissima, la quale così è spiegata dall' Ottimo » con quel consiglio profondo, cioè col suo sapere, nel quale nulla luce creata puote attignere al cupo ..... sì che innanzi che sia al termine, si è vinto, cioè non ha possanza di considerare tanto a dentro ». Ed egli ne fa pur sapere, questo esser concetto di S. Tommaso, e altro simigliante trovarsi nel Pg. VI., 121-123.

Aspetto qui vale *vista*, cioè *intelletto*: *ogni aspetto creato è vinto*, intendi *degli uomini*, *e degli Angeli* — quia nullus intellectus Angelicus, vel humanus potest pertingere ad totalem cognitionem divinae sapiaentiae. — Benvenuto.

Però che andasse ecc.: *però*, e *perciò* hanno il medesimo valore, ossia *per questo*. (Vedi Cinonio, cap. 204 § I) Adunque *però che* (e noi lo scriviamo disgiunto, per cagione del numero poetico, siccome è scritto nella chiosa dell' Ottimo) significa *per questa ragione*, *perchè*, ovvero *acciocchè*. Laonde male il cav. Lamberti, nelle illustrazioni al Cinonio, aggiunge questo luogo di Dante come un esempio del *perocchè* invece di *quantunque*, lat. *quamvis*., C. 205, § III.

La sposa di colui ecc. La Chiesa militante, la quale (Cristo) col suo sangue benedetto sposò in sulla croce, gridando per lo desiderio della vita de' peccatori, e per la puntura della separazione (in quanto uomo) dell' anima dal corpo — L' Ottimo.

In se sicura, senza temer le offese degli inimici, cioè degli eretici, sicome chiosa Benvenuto; *ed anco a lui più fida*, acciocchè a lui servisse più fedelmente, e non adulterasse pei vizj — Et hic nota (prosiegue Benv:) quod de rei veritate Ecclesia Dei non bene incedebat recte, privata bonis ducibus. Nam Sacerdotes seculares, et Monachi antiqui multum defecerant in virtute, moribus, et scientia. Ideo bene Deus succurit huic defectui cum istis duobus principibus, qui verbo, et opere erigerent ruentem Ecclesiam — Dello stato infelice della Cristianità in quel tempo

favellano anche i Tre Compagni, C. IX. della Leggenda, con siffatte parole — Erat tunc amor, et timor Dei quasi ubique extinctus, et via poenitentiae penitus nesciebatur. Nam in tam praevaluerat carnis illecebra, mundi cupiditas, superbia vitae, quod totus mundus in his tribus malignitatibus penitus videbatur. — L' Alighieri con rapida pennellata, qual si conviene al lirico poeta, ed a colui che si era proposto di crearsi un *nuovo e bello stile*, che fosse ad un tempo *breve ed arguto*, ne dipinge innanzi tratto la misera condizione di quel secolo: la qual cosa egli fa similmente nell' Inno in lode di S. Domenico (C. XII. v. 37-39):

L' esercito di Cristo, che sì caro
Costò a riarmar, dietro all' insegna
Si movea tardo, sospeccioso, e raro;

sul qual terzetto vedi, o studioso lettore, che bella chiosa fa l' Ottimo — Dice, che l' oste di Cristo, cioè li Cristiani si movevano *tardi, sospettosi, e rari* dietro all' insegna. Nota tre difetti, *tarditate*, cioè lentezza, e pigrezza in operare; *sospettoso*, nota vacillitade, ed incostanza circa la fede; *rado*, cioè poca gente andava in quella oste, la quale oste costò così cara a riarmarla. Oh quanto sangue innocente, e giusto si spese per riarmarla! Tutti i santi libri ne sono pieni. —

Il Mauro, nel L. I. v. 176-212, e in altri luoghi, ne porge il ritratto di quel secolo, che le molte e pestilenziose eresie, e i più sconci vizj bruttavano.

Duo principi ordinò in suo favore. Chi non riconosce di subito in questi due principi i due gloriosi Patriarchi Francesco e Domenico, ordinati dalla providenza di Dio a favore della Chiesa? Così nell' altro inno v. 45;

E, come è detto, a sua sposa soccorse
Con duo campioni ecc.

Che quinci e quindi le fosser per guida — Idest qui recte ducerent bigam Ecclesiae — Benv. Che sotto la figura di biga, ossia carro di due ruote, sia dal poeta rappresentata la Chiesa, appar manifesto dai versi 106-109 del citato canto XII. » Se tal fu l' una ruota della biga (cioè S. Domenico) ..... Ben ti dovrebbe assai esser palese L' eccellenza dell' altra ecc. (cioè S. Francesco.) »

Se poi ami di vedere di che guisa

» Un carro in su duo ruote trionfale » (Pg. XXIX, v. 107)

allegorizzi poeticamente con bellissime immagini, tolte dal profeta Ezechiello e dall' Apocalisse, la Chiesa, e le sue diverse vicende, leggi il canto 29, e il 32 del Purgatorio. Al qual proposito non taceremo, che l' Ottimo nel dichiarare questo allegorico carro, appresso aver detto, che per le due ruote s' intendono i *due Testamenti, dalla destra il Nuovo, dalla sinistra il Vecchio*, soggiunge — avvegnachè l'autore in altra parte dica, che l' una delle ruote della Chiesa sia santo Domenico, cioè sapienza, e l' altra santo Francesco, cioè contemplanza, povertà, e amore, capitolo XI, XII. *Paradisi*. E così vedi, che *esso autore, secondo varj rispetti, varj offizi, e nomi attribuisce* —.

Il principio di quest' inno è pieno di nobiltà, di magnificenza, e di splendore poetico, sì nelle sentenze, sì nelle spressioni; ed anche il periodo, che in nove versi si allarga, giova non poco alla bellezza. Il Mauro eziandio dà cominciamento al poema con accorgimento, e con dignità, attesa la descrizione per noi accennata, e la introduzione della poetica macchina; sulle quali cose però nelle annotazioni del poema abbiamo abbastanza indicato, quali sarebbero stati i nostri desiderii.

N. II. v. 10-15. *L' un fu tutto serafico in ardore*: Benvenuto chiosa questo verso così — Idest de ordine Seraphinorum, qui magis ardent in amore Dei. Quasi dicat tamquam Angelus, non homo, ardens in charitate — I due seguenti versi sono per lui dichiarati in tal guisa — Fuit splendor sapientiae in mundo;..... unde dicit: di *cherubica luce*; idest de ordine cherubinorum, quia habuit intellectum angelicum. Nam fuit magnus doctor, et illuxit mundo sapientia sua —.

